COMME

TARIVS D. R

berti Rolloci, Miniſtri Ec-
cleſiæ, & Rectoris Academiæ
Edinburgenſis, in Epiſtolam
Pauli ad Coloſſenſes.

Cum indice rerum, ſententiarum, &
ſeruationum digniſſimarum copioſo.

2. Cor. 3. 18.

Omnes nos reuelata facie gloriam Domini, ut in
imaginem, in eandem imaginem
ex gloria in gloriam, ſicut à Domini

EDINBVRGI
EXCVDEBAT KO
ius Walde-graue, Typogr
Regius. Ann. Dom.
Cum Priuilegio

EXIMIO VIRO ET AMICO SVO SVMME DILIGENDO ET OBSERVANDO, GVLIELMO SCOTO ABELIO, HENRICVS CHARTERIS S. ET G. PER CHRISTVM.

Vibus profuit Rolloci labor, vel privatim in docendo, vel publicè in Evangelio prædicando, vel denique in monumenta doctrinæ ac prædicationis suæ posteritati consecrando, ij omnes plurimum sese tibi debere Rolloci nomine libentissimè

1084689

mè agnoſcunt, ac profitentur. Nam ex quo primùm is tibi in Chriſto innotuit, ita hominem complexus es, & intima familiaritate receptum foueiſti, vt nunquam exinde vlla in re ei defueris, verùm conſilio, ope, opera, tua quacunque demùm poteris ratione eum iuueris, ac promoueris, auctorque ei fueris, aut certè hortator ad pleroſque commentarios ad vſum Eccleſiæ in lucem edendos, præſertim verò inſignem illum Commentarium in Euangelium Iohannis (cuius maturata ante obitum authoris editio aliqua ex parte tibi accepta eſt ferenda.) Equidem tam fidam & firmam expertus eſt ab eo tempore amicitiam tuam vt, eum ſepiuſculè prædicantem audierim ſe pluribus nominibus tibi vni quàm aliis omnibus obligatum. Quam laudem minimè vanam fuiſſe, verùm ex perpetuo ſenſu benevolentiæ tuæ profectam, res ipſa comprobauit, vt eam tibi me-

merito nemo possit invidere. Nam vt primùm ei morbum ingrauescere cognoueras, non modò posthabitis quibuscunque negotiis, assiduè ægrum inuisisti, & ope tua solatus es, sed etiam domum tuam traductum iis prosecutus es officijs, quæ quotusquisque erga fratrem, aut parentem, aut alio modo sanguine coniunctissimum æquaverit? Sincera enim pietas vbi altiùs in corde radices egerit iejuna benevolentiæ declaratione minime contenta, vix potest sibi satisfacere in benefaciendo, iis præsertim quibus Deus vsus est instrumentis ad eam fovendam & augendam. Quibus tantis tuis beneficijs cum se imparem ROLLOCVS agnosceret (quod solum potuit) animi gratitudinem testatus est, consecratis tibi opusculis omnibus, quæ ipse in tanta corporis ægritudine ad vmbilicum perducere, & in lucem proferre non potuit. Quibus singulis nominatim

solennia hæc dedicationis verba præfigi testamento mandavit, IN PERPETVVM TESTIMONIVM AMICITIAE NOSTRAE DEDICO CONSECROQVE, vt quamdiu hominum manibus tererentur hæc opuscula, tamdiu memoria beneficentiæ tuæ (toti etiam posteritati commendabilis) vigeret. Accipies igitur, non tam à me vivo oblatum, quàm à ROLLOCO mortuo consecratum tibi, commentarium hunc in Epistolam Apostoli Pauli ad Colossenses, munus, quamvis exiguum, non tamen ingratũ tibi, qui persæpè professus es te audita hac Epistola, cùm eam populo ROLLOCVS publicè enarraret, summam consolationem & gaudium percepisse. Quod ad labores meos in hoc commentario, vel perficiendo, vel edendo, eos, quales quales sunt, etsi deberem tibi, qui ingenti benevolentiæ tuæ cumulo me penè ROLLOCO æquasti, pro-

profiteor tamen ingenuè me defuncto præceptori meo reddere, cui viuo gratias referre nunquam potuissem. Tibi verò pro tot tantisque beneficiis, tum in ROLLOCVM, tum in Academiam nostram, quæ tibi vnicè curæ est, tum in me nominatim, nescio quam possim gratiam rependere, si non illam quam Paulus benè merito de se Onesiphoro retribuit, hoc est, serijs votis expetam vt det tibi Dominus vt invenias misericordiam apud Dominum in die illo. Vale, Edinburgi, Calendis Septemb. 1600.

Typographus Lectori.

Post flebilem Rolloci *obitum perlatæ statim sunt in Scotiam literæ ab Ecclesia Geneuensis Ministro, Sim. Grutero, viro probo, & famæ bonæ, in quibus seriò ad Christianæ Ecclesiæ commodum reliquorum ab eo editorum operum vel prototypos excudendos, vel recudenda exemplaria flagitat. Hanc nos Epistolam huic opusculo, quod primum ex testamentarijs eius scriptis in lucem prodit præmittendam duximus, ne illius laudi vel iam demortui quicquam detrahatur, qui gratuitò vivus, tam sedulo & fideliter omnibus in Christo prodesse conatus est. Vale.*

Gratia & Pax per Christum.

NOn mireberis, Reuerende frater, quòd ego tibi de nomine & facie incognitus, in Christo verò fidei, charitatis, spei vinculo arctissimè coniunctus, te tantis locorum interuallis à Geneua remotum compellare ausim, non vt ad scribendum hominem grauissimis occupationibus distractum pronocem, verum vt tibi meum erga te studium declarare possim. Quum aliquoties ad nos peruenissent tuæ in Epistolã ad Romanos & Ephesios, Deinde in Danielem & selectos aliquot Psalmos Lucubrationes, petij & impetraui à Typographis nostris vt maturè Sacros illos labores tuos Germanis & Gallis nostris communicarent: quod illi si non satis eleganter, profectò diligenter & fideliter (ni fallor) præstiterunt. Nuper excusi sunt tui Psalmi, in quorum editione, cur aui ne errata Typographica pium opus deformarent: breuesq; notas (vt studiosorum iuuenum petitioni satisfacerem) addidi: quod vtinam qualecunque est tam gratum sit tuis oculis, quàm illis vtile iucundumque fore arbitror. Commisit fidei meæ fr. Le Preux bibliopola tuus Genevæ præclarũ tuum Commentarium in Iohannis Euangelium, cuius editionem vrgeo. Si Christus annuerit, Nundinis autumnalibus volumen prodibit in publicum. Nunc edimus Psalmos illos selectos, quorum exemplaria quædam accipies, vt spero. Cupimus autem, Reuerende frater, vt quidquid posthac conscribere tum in veteris, tum in noui fœderis li-

beris

bros, tum in locos Theologicos, concedet tibi Spiritus sanctus, illud fidei nostræ typis, vel recudendum permittas, vel committas excudendum: quo in negotio curabimus vt nihil à nobis desideres quod cordatos & Christianos viros decet. Domini & fratres in Christo dilectissimi D D. Meluinus & Ionstonus, veteres amici, quos reuerenter saluto, qui sim non planè obliti sunt. Poterunt illi de mea sinceritate tibi ferre testimonium. Vinam verò, R.F. ea quæ cœpisti zelo et studio, non Scoticis tantùm Ecclesiis, verum etiam Gallicis, Helueticis, Belgicis, Germanicis & alijs, eruditarum & piarum lucubrationum editione, inseruire pergas. In eam rem longos dies tibi precamur à Domino. Quòd ad me attinet, meum tibi lubens defero obsequium. Dominus Beza octogenarius, in concionando & profitendo publicè in schola pergens in hanc vsque diem, tuis scriptis delectatur, tibique, vt & vestris Ecclesijs, prospera omnia cupit. Imminet nobis astutus & potens hostis Dux Sabaudiæ: sed ab omnipotentis & sapientissimi Iehouæ manu pendemus. Vale in Christo, & me tibi addictum beneuolentia tua complectere. Ex musæo Sangeruasiano, quod est in in suburbio Genevensi ad Rhodanum. XV. Martij. 1599.

Tui obseruantissimus, *Simon Goulart*, Silvanectinus Genevensis Ecclesiæ in templo Germaniano Minister

Ecclesia in obitu D. R.R. lessum facit.

EXcessus, ROLLOCE, tuus me tristia cogit
Murmura in extrema fundere canicie:
Et renovat luctusque graves & funera acerba
ROLLI, Arbuthnoti, Smetoniique patrum,
Haiorumque Andreiæ obitus & fata Georgi,
Fataque in eduro Lausonij exilio:
Obductasque cicatrices & vulnera cruda
Vltima, quæ telis plurima facta meis.
Verùm cui querar ægra? an qui mihi vulnera fecit,
Solus Achillæo tollere more potest?

Aliud de scriptis R. R.

DVx ROLLOCE *via tenax reperta,*
Qua fert sideream patens in aulam:
Fidorumque ducum comes fidelis,
Vrsini, & Iunij, Tremelliiq;
Calvini *quoque*, Bezæ, Oleviani,
Queis vestigia pranijs sequutus
Signata ingenij notis stylique,
Trito calle viam secas, tenesque
Certum certus iter poli sub auras.
Mirè sedulus & laboriosus
Scripta exples operosa: ceu melissa
Cellis nectara stipat & recondit
Hausta è floribus, aerisque rore:
Delibata poli Deique dona.

III.

VNanimes inter quanta ô concordia fratres!
Cur nec, ut ante fuit, nunc quoque firma manet,
Excessit ROLLOCVS amici nodus amoris:
ROLLOCVS ruptæ nexus amicitiæ,
Isthmi instar bimaris geminum qui destinet æstum
Nimis atque hinc, ne in se mistu uterque ruat.

D. GVILIELMO SCOTO.

CErnitur incerta si in re bene certus amicus
Es ROLLOCO, vt eras, certus amicus, eris.

A. M.

D. ROBERTO ROLLOCO. V.C

BIs dolet ereptum ROLLOCVM *Ecclesia vtrumq;*
Vulnus alit, squallens fractaq;, & ipsa iacet
Hinc damnum, hinc lachrymæ: tristi ni funere maior
Stet pietas linquens tot monumenta sui
In quibus ore graui sanctoq; ex pectore Christum
Intonat excelsi plenus timore poli;
Captinaq; trahit mentes sub iudice certas
Viuere siue mori, vis manifesta Dei hîc:
Felix cui Christus fuit omnia. Quem prius arsit
Iam Christum cernit nocte die q; suum.

II.

*V*Ita gravis, sancti mores, vis ætheris alti,
Corda replens, alios in sua iura trahit.
Candida simplicitas: in aperto pectore virtus
Innocua, ingenuo fama labore cluit.
Talis erat, maior venienti surgat ab æuo
Morsq; viro frustra est iniicere ausa manũ.

I. Ian

Ad Gulielmum Scotum de

ELIE, D.R. ROLLOCI amicum constantissimum.

Fidus amicus amici in morbo, in morte, fuisti:
Fidus eras tristi in funere: fidus adhuc
In viduam prolemq́, & posthuma pignora sancti
Ingenij: per te spirat amicus adhuc
ROLLOCVS *in natâ, in scriptis post fata superstes.*
Hoc colere est sanctum numen amicitiæ.

Ad eundem.

IPse virum in vitâ quanti tu feceris orta
Nunc docet hæc proles posthuma, nunc alia.
Tutorem nondum ortæ obiens te dixit amicus
Factus es obstetrix iam semel atque iterum:
Post obitum nobis redivivum reddis amicum: at
Ante tuum æternam das tibi vitam obitum.

Tuus ἐν χριστῷ

A. M.

AD GVLIELMVM Scotum amicum ſummum.

Io. Rayvs.

Mvltum ſuperſtes vouerat vnico
Rollocvs olim ſe tibi debitum,
Profeſſum vſq́, te ſuarum
Grande decus columénque rerum.
Nec ſpes fefellit. limine in vltimo
Maturior vis quum raperet, domum
Tuam reducens hanc cubantem
Conſilio ac ope ſublenaſti.
Tardare fatum flebilibus modis
Nefas amici munera principis
Fungens, ocellos dextra preſſit,
Reliquias animæ imbibiſti.
Vt vixit omnis, ſic moritur, TVVS,
Tuus renaſcens pernolit at virûm
Manus, & æternum legendis
Auſpicijs reduuiuus exit.
Quicunque ſacri hęc pignora pectoris
Leget Rolloci, ſit memor intimum
Fuiſſe Scotvm, cuî dic amis
Ingenij monumenta grati.

Idem

Idem ROLLOCO *præcept. suo.*

NVlla tuam *Rolloce* potis cur reddere vivi
Spectatam toties effigiem Tabula?
Odisti fucum vivens, simplex & apertus
Mortuus, his scriptis mentis imago tuæ est
Quin vacat, extincto te, successore cathedra:
Vt par nemo fuit, nemo secundus erat.

I. R.

Epistolæ Pauli ad Colossenses Argumentum.

COlossa fuerunt Vrbs Phrygiæ in Asia minere Vicina Laodiceæ & Hierapoli, quas tres Vrbes sub Neronis imperio ferunt terræ motu concidisse. Fuerunt autem Colossenses instituti in vera Christi cognitione, non quidem ab ipso Paulo, sed ab Epaphra fido Christi ministro, cuius aliquoties mentionem facit Apostolus in hac Epistola: Verùm quia subrepserunt statim nonnulli falsi doctores, qui ceremonias Iudaicas post Christi aduentum abolitas docebant cum Christo coniungendas, et humanas traditiones, nominatim autem de cultu Angelorum superstitiosè ingerebant, ideò Apostolus de statu Ecclesiæ Colossensium certior factus, hanc ex Vinculis ad ipsos scripsit Epistolam. Sunt autem Epistolæ huius partes omninò septem. Prima est salutatio Vers. 1. & 2. cap. primi. Secunda est, Exordium gratulatorium in quo Colossensibus gratulatur fidem in Christo Iesu & charitatem erga sanctos, à vers. 3. ad Vers. 12. cap eiusdem. Tertia continet doctrinam de Christi beneficijs, nominatim Vocatione & redemptione siue remissione peccatorum, vbi egreditur Apostolus in magnificam descriptionem Filij Dei, in cuius regnum per Vocationem sumus translati, omnia etiam in

la

la magnifica quæ de Filio Dei prædicat applicans ad Ecclesiam Colossensium, à vers. 12. cap. primi, ad vers. 23. eiusdem. In quarta parte exhortatio est ad perseverantiam in fide, & admonitio vt caueant sibi à falsis doctoribus, à versu 23. cap. primi ad finem vsque capitis secundi. In hac parte admonitio ita adhortationi miscetur, vt nunc admoneat, nunc rursus hortetur. Nam vers. 23. cap. primi hortatur ad perseverantiam in fide, vers. 4. cap. secundi admonet vt caueant a falsis doctoribus. Vers. eius cap. sexto redit ad exhortationem, vers. 8. deinceps reuertitur ad admonitionem, in qua reliqua hac parte persistit. Est autem hæc pars interrupta digressione in sermonem de persona sua, in quo immoratur a vers. 24. cap. primi ad versum quartum cap. secundi. In quinta parte continentur hortationes, quæ sanctam vitam & christianos mores respiciunt a vers. 1. cap. 3. ad vers. 7. cap. 4. Sunt autem admonitiones hæ primùm generales, & omnibus indifferenter Christianis communes, à vers. 1. cap. 3. ad versum 18. deinde speciales quæ spectant ad certas & particulares hominum conditiones, vt ad vxores, maritos, liberos, parentes, seruos, dominos, a vers. 18. cap. 3. ad vers. 2. cap. 4. quo loco reuertitur ad exhortationes generales, in quibus persistit ad vers. 7. cap. 4. In sexta parte significat se euidisse res suas priuatas, de quibus certiores fieri volebant Colossenses, Tychico & Onesimo eram expenendas, a vers. 7. cap. 4. ad vers. 10. eiusdem cap. quo loco incipit epistolæ pars vltima, nempe conclusio, continens salutationes, quæ interiectis nonnullis specialibus mandatis sunt interrupta, ad finem vsque capitis simul & Epistolæ huius.

IN EPISTOLAM PAVLI APOSTOLI AD COLOSSENSES COMMENTARIVS ROBERTI ROLLOCI.

ARGVMENTVM CAP. 1.

Huius capitis partes sunt septem. 1. Salutatio duobus primis versibus. 2. Exordium siue praefatio, à vers. 3. ad vers. 12. 3. est doctrina de Christi beneficijs, nempe de nostra vocatione & redemptione siue peccatorum remissione à vers. 12. ad ver. 15. 4. est digressio in magnificam Christi descriptionem, a vers. 15. ad ver. 21. 5. est eorum quae de Christo praedicata sunt ad Colossenses particularis applicatio, a vers. 21. ad vers. 23. 6. est exhortatio ad perseverantiam in fide quam doctrina subsungit, in qua praecipuè occupatur reliqua haec Epistola, vt videbimus postea, vers. 23. 7. est digressio ab institutione illa exhortatoria, a vers. 24. ad finem vsque capitis.

CAP. 1.

1 *Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater,*

2 *Iis qui sunt Colossis, sanctis ac fidelibus fratribus in Christo: Gratia sit vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.*

Paulus Apostolus. Prima pars epistolae partes & capitis: Salutatio. Personae salutantes sunt, Paulus & Timotheus: Salutata

lutata est Ecclesia Colossensis: bona quæ salutantes personę exoptant & comprecantur salutatæ sunt gratia & pax. *Apostolus*). Descriptio quædam personæ salutantis prioris, nempe Pauli, sumpta est ab officio Apostolatus siue legationis ipsius. Apostolus siue legatus est Christi immediatè, mediatè autem ipsius Dei, per cuius voluntatem Apostolatu fungitur. Vide ad Corinthios vtramque cap. 1. vers. 1. & Gal. 1. 1. vbi dicit Apostolatum suum esse per Iesum Christum ac Deum Patrem qui suscitavit eum ex mortuis. Quamobrem Apostoli missi erant in mundum & à Deo Patre, & à Christo Filio, sed immediatè & proximè à Filio christo: Nam data est Filio omnis authoritas in cælo & in terra. Matt. 28. 18, & Christus est qui dedit dona hominibus, ipse ascendit supra omnes cælos vt impleret omnia, hoc est, donis suis cumularet Ecclesiam; ipse dedit alios Apostolos, alios verò prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores. Eph. 4. 8. & deinceps. Dat quidem Pater omnia dona, sed per manum filii Christi, etiam quà homo est. Hęc Pauli descriptio eò pertinet, vt et personæ authoritas, & doctrinæ ipsius fides conciliet-

tur

tur. *Et Timotheus frater*) Persona salutans posterior Timotheus, qui titulo fratris insignitus est. Frater autem vocatur hoc loco Timotheus, non tam propter communem & vulgarem istam vocationem Christianam, quàm propter specialem istam qua commilito erat Apostoli in prædicatione Evangelii. *Iis qui sunt*) Pro nomine Ecclesiæ Colossensis habetur eius quædam descriptio: primùm qui in ea sunt fratres dicuntur, nempe in Christo, deinde sancti, sanctificati nimirùm per Spiritum Sanctum, tertiò fideles à fide Christi, quæ antecedit naturæ ordine sanctitatem: nam prius credimus in Christum Iesum, & per fidem iustificamur, quàm eius Spiritu sanctificemur. *Gratia sit vobis*) Ex bonis quæ optantur primum vocatur gratia: quo nomine intelligo omnes Dei in Christo benedictiones, quæ tendunt ad pacem & beatitudinem nostram: hæ gratiæ nomine vocantur, quia à mera dei gratia sunt. Secundũ vocatur pax, quo nomine intelligo finem omniũ Dei in Christo benedictionum, adeoq; fœlicitatem ipsam, quæ cernitur in pace quæ est erga Deũ Ro. 5. 1. et quæ superat omnẽ intellectũ Ph. 4, 7. *A Deo*) Optantur hæc bona ab authoribus suis, Deo Patre et domino Iesu christo

Author & efficiens horum bonorum ordine prior est Pater: posterior verò ordine est filius. Nam Pater per Filium suum Iesum Christum horum bonorum largitor est: per Filium, inquam, non vt instrumentum aut ministrum, verùm per Filium vt efficientem vnà cum Patre principalem: Nam quęcunque facit Pater hæc etiam Filius facit pariter. Ioh. 5. 19. per Filium tamen in efficiendo Patre suo ordine posteriorem. Hæc de salutatione ista hactenus diximus, & quidem paucis: plura qui velit legere de hoc salutationis Paulinę genere videat quę scripsimus in priorem Pauli ad Thessalonicenses Epistolam cap. 1, vers. 1.

3 *Gratias agimus Deo & Patri Domini nostri Iesu Christi, semper pro vobis precantes:*

GRatias agimus) Secunda Epistolæ & cap. pars, præfatio, in qua conciliat sibi Colossensium benevolentiam, Benevolentiæ autem duo sunt argumenta. Primum à gratiarum actione pro iis: alterum à precibus pro iis. Duo hęc argumenta proposita quidem sunt hoc versu, deinceps verò seorsum exposita, & suo ordine. De gratia-

gratiarum actione observo: Dum gratias agit, congratulatur iis beatum ipsorum in Christo statum: Quo docet nos, congratulationes nostras oportere esse in Domino, et totidem actiones gratiarum εὐχαριστίας, cum Dei beneficium sit quicquid fœlix & prosperum accidit quibusuis. Quam longè absunt prophanorum hominum congratulationes ab hac forma, qui quod iis accidit quibus congratulantur, id totum tribuunt ipsis hominibus, eorum sapientiæ, potentiæ, fortitudini, &c. quod nihil aliud est, quam eslusatio pariter & blasphemia. Nunc videndum, pro quibus gratias agat, & oret pariter: nempe pro Colossensibus, quo admoneamur oportere alios nobis curæ esse, nominatim verò Ecclesias Dei, quarum causa, & gratiæ agendæ sunt Deo, & pro quibus assiduè orandum est: Quod si esset in nobis primum zelus gloriæ Dei, deinde φιλαδελφία, amor hominum, ipsi certè pro aliis diligenter & ageremus deq gratias, & oraremus: sed hic neglectus aliorũ arguit nos & zeli, & charitatis vacuos. Cui agit gratias? *Deo*, inquit, *Et Patri Iesu Christi*, hoc est, Deo qui est Pater Christi. Non enim aliter agnoscendus est nobis Deus, quàm vt est Pater Christi; nequa-

ditum habemus ad Deum, nisi per agnitionem hanc ipsius in Christo: neque enim ipse nos respicit, nisi in Filio suo, non est nobis Pater, nisi quia Pater est Christi primùm, neque paternum amorem erga nos ostendit, nisi in amore illo filii sui. *Semper pro vobis orantes*) Hæc altera pars propositionis est continens argumentum benevolentiæ secundum: quo admonemur non satis esse gratias agere Deo pro beneficiis acceptis ab eo, nisi assiduè etiam precemur; Neque enim sic quisquam perficitur in hac vita, vt non adhuc aliquid in eo desideretur: postquam benè cœpit potest deficere: Rursus non nisi peculiari Dei gratia potest proficere & perseverare in bono instituto: quare orandus est Deus, primùm ne deficiat: deinde vt proficiat: & orandus est assiduè & indesinenter, quia omni temporis momento ei opus est Dei gratia. Hactenus fuit duorum argumentorum benevolentię propositio, sequitur expositio prioris, & actionis gratiarum.

4 *Audita fide vestra in Christo Iesu, & charitate in omnes sanctos.*

5 *Propter spem sepositam vobis in cœlis: quam prius audistis per sermonem veritatis:* id est

est Euangelij.

6 *Quod peruenit ad vos, sicut & in totum mundum, & fructum profert, sicut apud vos quoque, ex quo die verè audistis & cognouistis Dei gratiam.*

7 *Sicut & didicistis ex Epaphrâ dilecto conseruo nostro, qui est fidus pro vobis minister Christi:*

8 *Qui & declarauit nobis vestram per Spiritum charitatem.*

Audita fide vestra) Hæc materia est, & causa cur agat pro iis Deo gratias, ipsorum fides primùm, deinde charitas, quam audivit ex Epaphra, qui ipsos in doctrina Christi primus instituit. Causa ergo gratiarum actionis, est vnio cum Christo capite per fidem, & communio cum sanctis omnibus per charitatem. In his est beata hominis conditio, & sine his nulla beatitas, nulla congratulationis materia. Hæc sunt quę non intuetur mundus, qui totus est in mundanis & carnalibus æstimandis & ponderandis.

Propter spem repositam) His verbis habetur causa fidei & charitatis, nempe speratę illę opes glorię hereditatis ipsius in sanctis; sic spem hanc definit Apost. Eph. 1. 18. Causa igitur fidei et charitatis, est merces copiosissima

sima & glorioſiſsima expectata, ſine cuius reſpectu, neque Chriſto per fidem, neque Eccleſiæ ipſius per charitatem, diu adhærere in tot præſertim tentationibus poſſemus. Niſi enim expectata illa tanta mercede provocaremur, & animaremur ad perſeverandum, profectò non perſeueraremus; Si enim, ait Apoſtolus, ſpes noſtra in Chriſto tantum eſſet in hac vita, omnium mortalium eſſemus miſerrimi. 1. Cor. 15. 19. Sublata enim ſpe alterius vitæ, nobis potius vivendum eſſet cum mundo. Vt autem ſine propoſita illa mercede gloriæ non perſeveraremus in fide et charitate, ita ſine fide & charitate nulla ſpes eſſe poſſet futuræ gloriæ; Ergo fides eſt cauſa ſpei, & ſpes vicisſim alit ac fovet fidem. *De qua auditus eſt.*) Vnde fuerit cognitio futuræ illius gloriæ docet; Homo de eâ nulla vnquam naturæ ſuggeſtione aut inſtinctu potuit cogitare; eſt quidem inſtinctus naturæ quod moriendum ſit nobis. Rom. 1. vltimo verſu: At quod vivendum ſit nullus. Ergo vnde fuit illa futuræ vitæ cognitio? Ex auditu fuit; auditus autem per verbum & ſermonem, ſermonem autem illum oportet eſſe veritatis. Quid ſibi velit per ſermonem veritatis, ſubiecto Evangelii no-

nominè exponit. *Hoc est*, inquit, *Euangelij*) Sunt & alij sermones veritatis, verbi gratia, verbum legis est quoque verbum veritatis, ideò, vt ostendat de quo sermone veritatis intelligat, subiecit Euangelij nomen, quasi dicat, loquor de Euangelio: ei enim κατ' ἐξοχὴν propter ipsius eminentiam hoc nomen tribuit peculiariter. Sequitur commendatio quædam Euangelij illius, quod Colossenses audiverunt.

Quod peruenit ad vos) Primum est argumentum, quasi dicat, Euangelium hoc quod peruenit ad vos, idem est cum eo quod ministerio meo, & aliorum Apostolorum propagatum est in totum mundum; quare non est quod de eo dubitetis. Nam hoc loco obscurè præoccupare videtur illam offensam personæ Epaphræ. Obserua hic notam quandam veri Euangelij, si sit idem Euangelium cum eo quod ab Apostolis est propagatum in mundum, necesse est verum esse; scitur autè idem esse cum eo si comparatio fiat cum scriptis apostolicis, idem & totum scripserunt, quod ad rem ipsam & sententias attinet, quod docuerunt viva voce: Quod si iam comparatione facta constiterit esse idem cum Euangelio Apostolorum, non adeò hæsitandum nobis est

est in personis ministrorum, vnde venerint ii, per quos vocati sint, ordinariène an extra ordinem vocati sint: id quod hodierno die semper habent in ore adversarii, ad Evangelium interim quod prædicamus aures suas occludentes. *Quod fructificat*) Hoc alterum est argumentum à pari vel simili fructu. Fructificat inter vos quoque, vt & in reliquo mundo hoc Evangelium quod ex Epaphra audivistis, ergo &c. Hęc altera nota est veritatis Evangelii, nempe si in aliquibus saltem eosdem proferat fructus, quos iam inde ab Apostolorum diebus protulit in sanctis quibuscunq;. Fructus intelligo sanctificationis, humilitatis, charitatis, modestiæ, &c. Quod si eodem modo in aliquibus saltem efficax reperiatur, sequitur profectò idem esse Evangelium; Nam Evangelium semper est sibi simile & similiter efficax in iis quorum mentes aperit Deus ad ipsum recipiendum. *Ex quo die*) Hoc tertium est argumentum à continua in ipsis fructificatione Evangelii, iam inde ab eo die quo ipsum primùm audiverunt ad prę̃sentẽ vsq; diem. Et hæc quoq; nota quędam est veritatis Evangelii, nempe si non tantùm fructificet, sed continuò inde à primo quo ipsum auditum est die,

fruc-

fructificet; nam Evangelium in quibus cœpit verè ac solidè fructificare, in iis continuò fructificat; Hi enim perseuerant in finem, &, si deficere aliquando contingat, non tamen finaliter deficiunt. *Verè audiuistis & cognouistis*) Duo sunt hîc, alterum (*audiuerunt*) alterum (*cognouerunt*) Vtrumque ad hoc necessarium est vt Evangelium fructificet (*verè*) hoc verbo commendat eorum cognitionem à veritate ac sinceritate ipsius. Vt autem his postremis verbis commendat iis Evangelium quod audiverunt ex Epaphra, ita etiam ipsos commendat, tum ex eo quod quo primùm die id audiverunt, ipsum receperunt ac cognoverunt, tum ex eo quod inde ab eo die perseverarunt in recepta semel veritate Spiritus enim Sanctus commendat in nobis gratiam quam ipse nobis largitur.

Sicut & didicistis) Hactenus commendavit iis Evangelium ab ipsis auditum. Nunc commendat iis ministrum Evangelii Epaphram, ne ipsos offenderet persona Ministri, qui non fuit ex Apostolis vnus, quasi dicat, hoc Evangelium quod ego vobis commendo dico vos didicisse ex Epaphra. Est autem occupationis quędam

ſpecies hoc loco: At Epaphras docuit ipſum, qui tamen non eſt ex Apoſtolorum numero? Reſpondet, didiciſtis ex Epaphra ipſam veritatem: Tum deſcendit in commendationem Epaphræ: Laudat autem eum primùm ex eo quod ſit cõſervus ipſius; Ratio ſequitur appellationis huius, quia miniſter Chriſti eſt: Tum dilectum vocat, quia, vt ſequitur, fidus fuit miniſter. Poſteà pro iis dicit miniſtrum eſſe, hoc eſt, eorum commodo & bono. Poſtremò omnia bona ſibi de ipſis renunciaſſe dicit, id quod arguit Epaphræ erga Coloſſenſes amorem.

Charitatem) Gratiæ charitatis nunc potiſſimùm meminit, cùm priùs mentionem fecerit fidei, quia charitas, cum eſt in quoquam, præſupponit in eodem fidem ineſſe: eſt enim effectum fidei neceſſarium.

Per Spiritum) Principium & fontem charitatis deſignat Spiritum Sanctum, quo nimirùm affectus ille cordis noſtri ſanctificatur, & qui agit per affectum tanquam inſtrumentum: Nam in ſanctificato omnes illi motus ſancti, ſunt à Spiritu ſancto primùm tanquam ab agente principali. vid. Rom. 9. 1. vbi dicit conſcientiam atteſtari per Spiritum ſanctum. Nota, qui fideles ſunt in officio quocunque, illi commenda-

mendandi sunt ac laudandi iis, qui boscum tes est ipsis, idque eorum bono. Nam Satanæ minister est qui alienat animos populi ab iis, qui bona fide præsunt, siue in politia, siue in Ecclesia: In genere, non sunt distrahenda ac diuellenda membra Christi obtrectatione, vel sermone aliquo sinistro & noxio, sed omnibus modis inter se continenda sunt.

9 *Propterea & nos ex quo die id audiuimus, non desinimus pro vobis orare, & petere vt impleamini omni agnitione voluntatis eius, cum omni sapientia & intelligentia spirituali:*

10 *Vt incedatis sicut Domino dignum est, vt per omnia placeatis, omni opere bono fructum proferentes, & crescentes in agnitionem Dei.*

11 *Omni robore corroborati, secundum gloriosam vim ipsius, ad omnem tolerantiam & animi lenitatem cum gaudio.*

12 *Gratias agentes Patri, qui idoneos nos fecit ad participandam sortem sanctorum in luce:*

PRopterea) Hactenus declaratum est primum argumentum benevolentiæ, nempe gratiarum actio: Nunc declaratsecundum, nempe precationem (*propterea*, inquit) hoc est, propter charitatem vestram in Spiritu. Nota igitur, quæ causa est cur a-

ga-

gamus pro aliquo gratias Deo, eadem moueré nos debet ad hoc vt soliciti simus & precemur pro eo. *Ex quo*) Amplificatio petitionis suę ex tempore, et citò et continuò ac indesinenter sum precatus: hinc sequitur non modò opus fuisse iis precibus, sed precibus primo quoque tempore concipiendis, & precibus continuis; Quà quidem re admonemur & imperfectionis ac defectus, qui in nobis est, etiam postquam gratiam recepimus, & remedii defectus, nempe precum. Sed videamus quid precetur? *Vt impleamini*, inquit) Precatur iis, vt sic dicam, plenitudinem, saturitatem et impletionem, id quod arguit primùm defectū in nobis esse, &, vt sic dicam, inanitatem; deinde fœlicitatem nostram sitam esse in eo vt impleamur: fœlicitas nostra in eo cernitur vt Dei similes simus, Deus autē plenus est & implet omnia: Ergo hæc est nostra fœlicitas vt impleamur ad omnē vsq; plenitudinem illam Dei. Ep. 3. 19. Hinc videas promitti nobis saturitatem illam, tanquam beatitatem nostram. Beati qui esurinnt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Matt. 5. 4. Hinc est quod Paulus precetur plenitudinem, & hoc loco, & alibi, vt Eph. 3, 19. Sed cuiusnam rei plenitudi-

tudinem precatur? Cognitionis. *Vt impleatis cognitione*, inquit) Primùm omnium oportet impleri nos cognitione & luce: hæc enim est beatitas nostra, & in hoc Deo sumus similes, qui lux est. 1. Io. 1. 5. et habitat lucem inaccessam. 1. Tim. 6. 16. et principium omnis gratiæ est à luce & mentis illuminatione, qua fit vt tenebræ istę dispellantur. Lucem sequuntur alia, vt gaudium, pax, &c. Ideoque primùm omnium video Apostolum precari lucem et cognitionem, vt Eph. 1. 18. Illuminatis oculis mentis vestræ, &c. Sed nunquid partem tantùm aliquam cognitionis precatur? *Omni*, inquit, *cognitione*, hoc est, plena perfectaque cognitione: dici enim non potest quantę cognitionis simus capaces postquā sumus renati, et quanta latitudo, longitudo, altitudo, et profunditas cognitionis ingrediatur mentem nostram. Eph. 3. 18. & in hoc quoque Deo & Christo similes simus: Nam in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & cognitionis absconditi. Coloss. 2. 3. Sed cuiusnam rei cognitionem precatur. *Voluntatis*, inquit, *eius*.) Hæc est voluntas illa Dei revelata iam vltimò per Christum, et Filium qui est in sinu Patris. Ante Christi adventum fuit sapientia in mysterio latens

tens, occulta illa quam Deus præfinierat ante tempora secularia in gloriam nostrã &c. 1 Cor. 2. 7 revelavit autem nobis per Spiritũ suum; Spiritus enim scrutatur omnia, etiam profunditates Dei. Quę autem contineantur hac voluntate Dei revelata, vide Eph. 1. 18. Illuminatis, inquit, oculis mentis vestræ, vt sciatis quæ sit spes illa vocationis ipsius, et quę opes gloriæ hęreditatis ipsius in sanctis, &c. vt dicam planè, hęc sunt ea quæ habemus in Evangelio isto: Christus, & beneficia ipsius. Nota quæ sit vera cognitio. Est autem ea sola vera cognitio, quæ est voluntatis Dei; sine hac cognitione omnis cognitio stultitia est; et vt hanc acquiramus cognitionem et sapientiam, oportet stulti fiamus; Qui sibi videtur esse sapiens, stultus fiat, vt fiat sapiens. 1. Cor. 3. 18. *Cum omni sapientia*) Cognitionem illam quam proposuit dilatat in suas partes, nempe sapientiam, quæ est in contemplatione rerum spiritualium, et intelligentiam siue prudentiam, quæ est in praxi & actione; vtramque spiritualem vocat, hoc est, de rebus spiritualibus et cælestibus. Nota ergo hoc loco cognitionem qualitate spiritualem, partibus perfectam, gradibus quoque partium absolutam; hanc quidem precatur

tur Paulus, ſed tamen non impletur tantiſper dum ſumus in hac vita, cum autem Deus futurus eſt omnia in omnibus, tum implenda eſt ac perficienda.

Vt incedatis) Hic finis eſt plenę illius cognitionis, quam precatur, nempe vt incedant & ambulent. Lux enim datur ad hoc vt incedamus & ambulemus; lux iſta diurna datur ad ambulandum: quantò magis ad id ipſum conceſſa eſt lux iſta cæleſtis. Sed quomodò eſt ambulandum? *Vt incedatis*, inquit, *ſicut dignum eſt Domino*) Ad regulam & canonem eſt incedendum: qui ambulat interdiu oportet induat habitum luci convenientem, & compoſitè ambulet. Rom. 13. 12. 13. ſic qui ambulat in luce illa cæleſti oportet ad regulam & canonem eum ambulare: eſt autem hæc regula, vt ambulet ſicut dignum eſt Domino, vt hîc loquitur Apoſt. Priore autem ad Theſſ. 2. 12. dicit ambulandum ſicut dignum eſt Deo, vocante nos ad ſuum regnum ac gloriam: alibi dicit ambulandum ſicut dignum eſt vocatione noſtra: alibi vt dignum eſt Evangelio. *Vt per omnia placeatis ei*) Quid ſit hoc quod dixit, vt incedatis ſicut dignum eſt Domino exponit, hoc eſt, vt per omnia & modis omnibus placeatis ei.

Paulus. 1. Theſſal. 2. 4. vocat hoc quaſi compenſationem qua Dei erga nos benevolentiam quaſi compenſamus, Sicut, inquit, placuimus Deo, &c. Si enim nos placuimus Deo, cum eſſemus indigniſsimi, an non debemus nos omni ſtudio placere ei, qui eſt digniſsimus. Vt autem placeamus Deo oportet probari corda noſtra; Nihil enim placet Deo, niſi quod ſincerè & ex animo fit. *Omni opere bono*) Sequuntur partes officii noſtri in Deum, vel modi quibus placemus ei. Primus eſt his verbis. *Fructificantes in omni opere bono*) Metaphora videtur ſumpta ab arboribus, quę ita demùm placent agricolæ, ſi fructificent: Non autem ſatis eſt ſi fructificemus in bonis operibus, niſi in omni bono opere fructificemus, hoc eſt, non vno modo benè agamus, ſed modis quibuſcunque, in quo differimus ab arboribus, quæ ſingulę non niſi vnum aliquod ac certum genus fructus producunt; pomus pomum, pirus pirum. Secundus modus placendi Deo eſt his verbis. *Creſcentes in agnitione*) Hic modus ſequitur primum: Nam quemadmodum ex cognitione & fide, quæ hîc intelligitur cognitionis nomine, fluunt bona opera; fides enim per cha-

charitatem operatur: ita vicissim bonis operibus augescit ac fovetur fides: In quo rursus differimus ab arboribus: Nam cum arbores fructificent non sibi, sed hominibus, nos fructificamus bonis operibus, non Deo tantùm, non hominibus tantùm, sed & ipsis nobis: Nam bona opera nostra, quæ sunt tanquam filiæ, matrem suam, hoc est, fidem augent aluntque: quemadmodum mala opera augent infidelitatem, minuunt verò fidem. Nam nonnulli repulsa bona conscientia, quæ nimirùm est ex bonis operibus, fidei naufragium fecerunt. 1. Timoth. 1.19.

Omni robore) Hic tertius modus est, quo placemus Deo; qui ex secundo illo sequitur: Nam crescentes in fide corroboramur. Vt enim arbores crescentes sic corroborantur vt possint iam sustinere calores: frigora, ventos, & tempestates: sic nos crescentes in fide, corroboramur adversus afflictiones & persequutiones. Sed quo robore corroboramur? non nostro ipsorum, hoc est, carnis & sanguinis sed *Corroboramur* inquit, *secundum potentiam gloriæ Dei*) Corroboremini per Dominum & forte ipsius robur. Ephes. 6.10.

fides enim illa in qua crescimus, dum appre hendit Deum in Christo, haurit quasi ex eo partem aliquam roboris ipsius. Et quę sit, inquit, excellens illa magnitudo potentię ipsius in nobis qui credimꝰ. Eph. 1. 19. Qui virtute Dei custodimur per fidem. 1. Pet. 1. 5. Ecce fides est qua ex plenitudine illa virtutis & roboris Dei nonnihil capimus, nobisque applicamus. Stephanus plenus fide & Spiritu sancto ita corroboratus est vi illa glorię Dei, vt gloria Dei conspecta fuerit in ipsius facie. Cum enim staret in concilio Iudæorum, viderunt faciem ipsius quasi faciem Angeli. Act. 6. 15. Non dicit tantùm oportere vt corroborentur robore, sed omni robore. Prout multiplices sunt afflictiones, ita robur oportet multiplex esse. Video hìc Apostolum non partem aliquam vel agnitionis, vel operum, vèl roboris requirere, sed omnem planè cognitionem, omnia opera bona, omne robur: quo profectò significatur, si non in hac vita, certè in altera nos perfectos fore, & omnibus numeris absolutos, tum nimirùm cum Deus futurus est omnia in omnibus. *In patientiam*) Illud omne robur quod dixit explicat ac diducit in partes quasdam suas, 1. Patientiam in ferendis afflictionibus. 2. lon-

longanimitatem in ferendis iis ſatis diu.3. Gaudium in ferendis iis ac ſubeundis alacriter & ſumma voluptate: Nota igitur, quis ſit dicendus robuſtus ? Non is quidem qui perſequitur, qui affligit; ſed is qui patienter & cum gaudio affligitur ac perſequutionem patitur.

Gratias agentes) Hic quartus eſt modus placendi Deo, per quem tranſitum ſibi facit ad ſequentem Epiſtolæ partem, quę doctrinam de Chriſto præclaram continet. Exiſtit hic modus ex proximo: nam corroborati robore Dei ad patientiam, longanimitatem, & gaudium in mediis afflictionibus, gratias agunt Deo, & gloriantur. Gloriamur in oppreſsionibus ſub ſpe glorię Dei. Rom. 5. 3. Cauſa gratiarum actionis ſequitur petita ex vocatione noſtra: ex quo diſcimꝰ in vocatione noſtra, et gratia hac in qua ſtamus per fidē in Chriſtum, materiam eſſe gaudii, gloriationis, & gratiarum actionis in rebus adverſis & calamitatibus quibuſcunque. Nunc, vt abſolvamus hanc partem, & concludamus quæ dicta ſunt de Deo placendo. Quis demum eſt qui placet Deo? Is qui fructificat in bonis operibus, qui creſcit in fide & cognitione; qui corroboratur ad patienter & cum

gaudio ferendum afflictiones ; qui deniq; in mediis afflictionibus gloriatur, & gratias agit Deo. Hæc de præfatione hactenus.

12 *Gratias agentes Patri, qui idoneos, &c.*

GRatias agentes) Sequitur pars Epistolæ tertia in doctrina posita. Ad hanc partē vt supra dixi, transitum sibi facit per quartum illum modum, quo placemus Deo. Doctrinę suæ initium sumit à vocatione. In Epist. ad Eph. altiùs est exorsus doctrinam suam ab ipsa electione. Benedictus Deus & Pater, &c. Eph. 1.3. Hîc exorditur doctrinam suam à vocatione efficaci, quæ inter beneficia quæ in Christo conferuntur in tempore primum est. Non est quidem doctrina de vocatione simplex, sed proposita cum gratiarum actione: Vt in Epist. ad Eph. doctrinam electionis proponit cum benedictione. Eph. 1.3. & deinceps: quo docet nos, oportere esse commemorationem beneficiorum Dei in Christo, cum grati in Deum animi significatione, benedictione, & glorificatione nominis ipsius. *Patri*) Hic author est vocationis nostrę ideo vocationis gloriam ei primùm tribuit. Filius ipse vocationis ac mediationis suæ & omnium quæ facit vt mediator, gloriam tribuit Patri suo. Sic fideles vocationis suæ

&

& omnis gratiæ gloriam tribuunt Patri primùm, qui omnis boni & gratiæ fons est, & author primus. *Qui nos idoneos*) His verbis habemus vocationem ipsam nostram efficacem: Posita autem est non in nuda vocatione & nominatione eius rei quæ est, sed in efficaci mutatione nostri, qua ex inidoneis etiam ad cogitandum quicquam boni, 2. Corinth. 3.5. idonei fimus, ex mortuis vivi, ex eo (vt sic dicam) quod non est, id quod est. Nam Deus cum vocat facit nos pariter id quod vocat. Vocat ea quæ non sunt tanquam sint. Rom. 4.17. Huic Dei vocationi planè adversatur doctrina illa de libertate arbitrii, quæ importat aliquam in nobis sufficientiam, & (vt sic dicam) idoneitatem inesse ante vocationem. Nota rursus, ex quonam fundamento exsurgere oporteat preces & gratiarum actionem: nempe ex conscientia omnimodæ insufficientiæ nostræ, ac miseriæ. Hinc progredimur ad sensum meræ gratiæ & misericordiæ Dei. Hinc existit seria gratiarum actio. Non enim dixerim istos vnquã seriò gratias agere Deo, qui non omnia in solidum gratiæ ipsius in Christo, sed aliquid naturę suę ac libertati arbitrii attribuũt. *Adparticipandã*)

Hic finis est vocationis nostræ, participatio sortis, hoc est, hæreditatis quæ sorte obtigit nobis, non acquiritur vlla nostra industria vel merito. Nota igitur: vocamur à Deo non frustrà, sed vocamur ad hæreditatem participandam. Quare quisquis sentit se vocatum esse à Deo interiùs & efficaciter, certò expectet hæreditatem: non enim parum refert persuasam habere vocationē: quos enim vocavit eos iustificavit, quos iustificavit eos glorificavit. Rom. 8. 30 Nota rursus: hæreditatem istam ad quam vocati sumus sortem vocat, vt indicet non vocationis aliquo merito donari nobis hæreditatem. Non enim dicitur vnum Dei beneficium promereri alterum: Vocatio non meretur iustificationem; Iustificatio non meretur glorificationem; sed prius medium est necessarium per quod pervenitur ad posterius. Ergo nomen sortis indicat non merito vocationis donari nobis hæreditatem, sed hæreditatem ex mera gratia esse & nobis quasi sorte obtingere. *Sanctorum*) Quorum sit hæreditas docet, nempe sanctorum, hoc est, segregatorum ab inquinamentis mundi huius. Vt igitur consequamur hæreditatem hanc cælestem, oportet nos sanctis aggregari, & in illa com-

communione ſanctorum reperiri: Nam opes gloriæ hæreditatis ipſius in ſanctis ſunt. Eph. 1. 18. *In Luce*) Vbi ſita ſit hæc hæreditas poſtremò docet, nempe in luce, hoc eſt, in cælis ſervata eſt. 1. Pet. 1. 4. Imò verò vita noſtra cum Chriſto in Deo eſt abſcondita. Coloſſ. 3. 3. Deus enim lux eſt. 1. Ioh. 1. 5. Nota igitur, hæreditas noſtra, vita noſtra, gaudium noſtrum, non eſt niſi in luce, hoc eſt, in luce cognitionis, & in hoc ſeculo, & in futuro. Nam qui iacent in tenebris ignorantiæ ii mortui ſunt: & qui habent cogitationem obtenebratam, hi ab alienati ſunt à vita Dei. Eph. 4. 18.

13 *Qui*, inquam, *liberauit nos à potestate tenebrarum ac transtulit in regnum Filij sibi dilecti.*

QVI, *inquam, liberauit*) Immoratur in beneficio hoc vocationis noſtræ clarius explicando. Hic enim vocationis noſtræ duas partes exprimit, & termini à quo, & termini ad quem meminit, ſimulque Chriſti Filii mentionem facit, ad cuius regnum in vocatione noſtra efficaci transferimur. Sed verba ponderemus. *Qui liberauit nos*) Hæc prima pars eſt vocationis noſtræ. Verbum liberandi ſiue eripiendi ſignificat nos vio-

violenta quasimanu liberatos, & vocatos non sine vi aliqua maiori. Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum, ait Dominus. Ioh. 6. 44. Vnde eripuit nos? *A potestate*) En causã in hoc verbo potestatis, cur erepti sumus violenta quasi manu; detenti nimirùm fuimus sub potestate: Oportuit igitur potestatem cum potestate cõgredi in nobis eripiendis: & oportuit maiorem esse potestatẽ eam, per quam sumus erepti. Nemo enim, inquit dominus, ingreditur domum robusti ad diripiendum vasa eius, nisi robustior aliquis qui ipsum illũ robustum primùm vinciat, vt' deinde vasa eius auferat. Mar. 3. 27. Ita non eripimur à potestate nisi per vim ac potestatem maiorem, quæ Dei est potestas illa infinita. Sed à cuius rei potestate erepti sum⁹. *A potestate*) inquit, *tenebrarum*) Potestas tenebrarũ maxima est, & quisquis potestate tenebrarum & vinculis ignorantiæ detinetur is omniũ arctissimè constringitur. Duę sunt omninò spirituales potestates, siue duo regna spiritualia in mundo: potestas tenebrarũ, et potestas lucis siue regnum Dei. Proximè secundum regnũ Dei potentissimum in mũndo regnum est illud tenebrarum, sub quo detinentur pleraq; regna huius mundi terre-

restria. Nihil profectò aliud est reipsa, quam carcer ille Dei in quo ligatos & conclusos servat diabolos: qui tamen ipsi dicũtur rectores tenebrarum seculi huius. Eph. 6. 12. reservat tamen eos in isto quasi carcere vnà cum reprobis ad damnationem in quo etiam post illud iudicium extremum torquendi sunt in æternũ: vide Epist. Iud. 6. vbi dicit Angelos qui non servata sua origine reliquerunt suum domicilium, iudicio magni illius diei vinculis æternis reservari.

Ac transtulit) Hactenus de vocationis nostræ prima parte, sequitur altera: Ereptos ac liberatos transtulit: non enim satis est si eripiamur è tenebris, nisi etiam transferamur aliquò, vbi possimus esse in tuto & securè agere ne relabamur in tenebras. Quo igitur translati sumus? *In regnum*, inquit) Oportet nos iam liberatos conservari in regno: neq; enim defendimur à regno nisi in regno collocemur: neq; quisquã omniũ est in terris extra regnum aliquod positus, vel enim in regno hæret tenebrarũ, vel in regnũ lucis est translatus. Sed cuius est regnũ hoc in quod sumus translati? regnũ est Filii & dilecti quidẽ Filii. In hoc quidẽ regno oportet nos in tuto esse & securè agere, in quo & Filius Dei rex est, & tam dilectus

ac

ac tam charus Patri suo Filius rex est. Regnant enim in hoc regno & potentia & amor: Nam si Filius Dei rex sit, is profectò regnat è cuius manu nemo potest rapere oves suas; Ioh. 10.29. Si dilectus Filius regnat, is regnat in quo Pater amore complectitur omnes subditos regni sui. Quamobrem in hoc regno qui agunt oportet esse in tuto, in quo & potentia & dilectione conservamur. Nota igitur hoc versu, vocatio nostri efficax in quo sit posita; Posita est in ereptione nostri ex vno regno, & collocatione nostri in altero: ereptione, inquam, è regno in quo captivi detinebamur (in regno enim tenebrarum nemo non captivus est) in regnum in quo vivimus vt filii: quod si vt Filii, vt hæredes, hæredes quidem Dei: cohæredes autem Christi. Rom. 8.17. è regno, inquam, minùs potenti, in regnum potentius: Ex quo sequitur eum qui semel efficaciter vocatus est, non relabi in pristinas tenebras: dona enim & vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα Rom. 11.29 & qui cœpit bonum opus in nobis perficiet ad adventum Iesu Christi. Phil. 1, 6. Cœpit autem bonum in nobis opus in efficaci vocatione.

In

14 *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ipſius*, id eſt, *remiſſionem peccatorum.*

IN quo) Sequitur alterum Dei beneficium in Chriſto Ieſu: nempe redemptio noſtri. Iam per efficacem vocationem tranſlati in regnum Filii Dei, & ipſi inſerti per fidem redimimur à peccato & morte. Sed hoc priùs notandum eſt quàm deſcendamus ad beneficium redemptionis; quod nimirum tranſlati in regnum Filii Dei, iam non tantùm tanquam ſubditi ſub rege vivimus, ſed propiùs accedimus ad regem noſtrum Chriſtum, eique inſerimur per fidem ac incorporamur; Inſerti autem & incorporati in eo, haurimus ex eo tanquam capite noſtro omnem gratiam. *Habemus redemptionem*) Vocati ſemel, hoc eſt, initiati in gratia Dei, procedimus continuò à gratia in gratiam, donec gratia adimpleamur. Tranſlati in regnum Dei & per fidem Chriſto regi inſerti, primùm omnium audimus ſententiam redemptionis & abſolutionis noſtræ à peccato & morte. Nam redemptio hoc loco eſt remiſsio peccatorum, interprete ipſo Apoſtolo. Remiſsio autem peccatorum poſita eſt in ſententia abſolutoria, quę nihil aliud eſt reipſa, quam iuſtificatio, quæ ſequitur continuò efficacem

efficacem vocationem. Quos vocavit eos iuſtificavit. Rō. 8. Videamus nunc beneficium hoc redemptionis, & de eo verba textus ponderemus. Redemptio hoc loco ſignificat liberationem, quę fit per ſententiam pronuntiatam à Iudice. Liberatio autem hæc & abſolutio eſt à ſervitute illa peccati & mortis ſub qua viximus in priori illo regno tenebrarum, in quo omnes ſunt ſervi, nullus autem liber eſt: Iam ergo tranſlati in regnum lucis & Filii Dei, liberamur & abſolvimur ab illa ſervitute peccati & mortis: Nam in regno Filii Dei nullus eſt ſervus, ſed omnes ſunt liberi, imò Filii; Quod ſi autem Filii hæredes, hęredes quidem Dei cohęredes autem Chriſti. Rom. 8. 17. Hactenus quid intelligatur redemptionis nomine vidimus, Nunc conſideremus modum redemptionis noſtrî. Ipſum verbum ἀπολυτρώσεως eam liberationem quæ eſt perſoluto redemptionis pretio ſignificat. Non enim patitur iuſtitia Dei liberationem eam quę fit ſine pretio: neque etiam propterea aliquid decedit de ipſius erga nos miſericordia, quia illud λυτρον ſiue redemptionis pretium non perſolvitur de noſtro, ſed de alieno vt videbimus. *Per ſanguinem.* Hîc habes λυτρον

ſine

siue pretium redemptionis: est autem, non aurum, aut argentū, aut quid tale caducum, sed est sanguis: nam absq; sanguinis effusione non fit remissio. Heb. 9. 22. Sanguis autem hic cuiusnam est? Non noster; nam sanguis peccatoris potest quidē effundi, et peccator potest mori pro peccato, verùm sanguis peccatoris non potest esse λύτρον siue pretiū redemptionis: Cuius igitur sanguis est pretium redemptionis. *Per sanguinem*, inquit, *ipsius*) Ergo sanguis Filii Dei, vtpote pretiosus, est redemptionis pretium siue λυτρον: Nam hic sanguis non tantùm satisfacit Dei iustitię & iræ (quę est ipsius dignitas) sed etiam misericordiā eius erga nos promeretur: & id solum λυτρον est quod vtrumq; hoc pręstat, & satisfacit irę, & promeretur misericordiam. *Id est remissionem*) Quid sibi velit per hanc quam dixit redemptionem per sanguinē ipsius, ipse declarat hisce postremis verbis, nempe, redemptionem per sanguinē dicit esse gratuitam peccatorum remissionem, hoc est, gratuitā absolutionē nostri à peccato et morte qua quidē exegesi significat redemptionē quę fit per pretium sanguinis alieni, hoc est Filii dei, nostri respectu esse remissionē peccati ex divite ipsius gratia vt loquitur. *Eph.* 1. 7

ne quis sit qui putet redemptionem nostri non esse gratuitam, quia non sine pretio fit; Etsi enim redemptio nostri carè Christo constiterit, & respectu ipsius non sit gratuita, tamen nostri respectu qui nullam λυτρε partem ipsi persolvimus, planè est gratuita.

15 *Qui est imago Dei inconspicui, primogenitus omnis rei creatæ.*

16 *Nam per eum condita sunt omnia quæ in cælis sunt & quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominia, sive imperia, sive potestates: omnia,* inquam, *per eum & eius respectu condita sunt.*

17 *Estq; ipse ante omnia, & omnia per eum consistunt.*

QVI *est imago*) Quia dixit nos translatos in regnum Filii, redemptos per sanguinem eius, ne cui hoc levius videretur, egreditur in magnificam Filii Dei descriptionem: Primùm autem his verbis describit eum ab essentia illa deitatis, vt intelligerent Colossenses se habere pro rege Deum, & sanguinem esse Dei quo sunt redempti, vt vocatur Act. 20. 28. Hìc primùm videbimus quo sensu dicatur Deus invi-

invisibilis, deinde quo sensu dicatur Filius imago Dei invisibilis, Quod ad prius illud attinet, habetur hæc sententia in scripturis passim. Deum nemo vidit vnquam. Ioh. 1. 18. Patrem nemo novit nisi filius. Mat. 11. 27. Habitat lucem inaccessam. 1. Timoth. 6. 16. Deus hîc intelligendus est in persona Patris, Deus autem non conspicitur, vel ab homine, vel ab Angelo ἀμεσῶς, immediatè in persona primùm sua, sed mediatè per filii personam: Solus filius est qui immediatè videt Patrem, cum sit in sinu Patris, Nemo vidit Patrem nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem. Ioh. 6. 46. Nunc videamus posterius illud quod à nobis suprà propositum est, quoque dicitur filius esse imago Dei: Ad hanc rem aliquo modo ostendendam nulla similitudo in terris aptior invenitur, quàm terreni filii similitudo. Terrenus aliquis filius primùm Patrem suum refert externis corporis lineamentis, & oris figura: deinde substantia corporis humani & animi humani: Tertiò substantia sibi à Patre suo communicata, atque hac in terris non alia magis viva imago haberi potest: Iam verò Filius Dei non tantùm patrem repræsentat externa, vt sic dicam, imagine, in eo quod

sit character personæ ipsius. Heb. cap. 1. vers. 3. Persona enim Filii licet distincta sit à persona Patris, tamen nihil est tam simile cuiquam quàm est persona Filii personę Patris: Non tantùm, inquam, repręsentat eum persona planè simili, sed etiam substantia divina; neque id tantùm, sed substantia ab ipso communicata Filio; neque id tantùm, sed substantia vna & tota: atque hoc gradu repræsentationis superat Filium terrenum, qui non repręsentat Patrem eadem numero, & tota eadem substantia: quemadmodum diximus Filium Dei repręsentare Patrem suum. Atque hinc dicitur Filius Dei splendor glorię paternę. Heb. 1. 3. Pater & Filius dicuntur vnum esse. Ioh. 10. 30. Pater in Filio & Filius in Patre dicitur esse. Ioh. 14. 10. Hæc omnia significant substantiam vnam numero cum Patris substantia, & totam Patris substantiam, in Filio esse. Ex eo quod tam viva sit Patris sui imago, oriuntur hæ de Filio loquutiones, Qui videt Filium videt Patrem. Ioh. 14. 9. ex eo etiam quod tam viva sit Patris sui imago fit vt contenti sint fideles sola imagine Dei, cum non videant immediatè ipsummet Deum Patrem. Nam nisi in Filio esset eadem

dem & tota Patris essentia, & tam viva esset Filius Patris sui imago, profectò sola Patris imagine non essemus contenti: Nulla enim in nobis vita est nisi Patrem videamus, ipsiusque essentiam intueamur aliquo modo. Ex his verbis colligitur primùm, Filium esse imaginem invisibilis Dei visibilem: Nam antithesis hoc arguit: Si enim sit invisibilis Dei imago, oportet visibilem esse imaginem. Deinde colligitur ex his verbis Deum ipsum alioqui inconspicuum, in imagine visibili visibilem & conspicuum fieri. Quod ad primùm illud attinet quærendum est quo modo visibilis sit Filius, qui est imago invisibilis Patris? Respondeo, quod ad humanam Filii naturam non est dubium, quin visibilis sit Filius in humana natura: De divina est maior quæstio; An igitur visibilis est in divina? Respondeo, oculis mentis illuminatis per Spiritum sanctum conspicuus est Filius etiam in Deitate sua: Nam Spiritus Dei scrutatur profunditates Dei. 1. Epist. ad Corinth. 2. 10. Vt videtur Filius Dei oculis mentis, sic sentitur corde. Quid enim quæso est hæc Dei misericordia, iustitia, potentia, sapientia, cæteraque infinita

quæ tanta cum ſuavitate percipimus animo, quid quæſo eſt aliud quàm Ieſus Chriſtus qui per fidem habitat in cordibus noſtris. Eph. 3. 17. & ſine quo non eſt ſalutaris et ſuavis ſenſus iſtarum rerum: obiicitur etiam quodammodo & repræſentatur ipſa Filii Deitas oculis corporeis, dum reſplendet maieſtas illa & gloria Deitatis in velo illo humanę naturæ. Commoratus eſt inter nos, & ſpectavimus gloriam eius, vt gloriam vnigeniti egreſsi à patre. Ioh. 1. 14. Quod ad alterum illud, quod ex his verbis colligitur, nempe, ipſum quoque Deum Patrem conſpicuum fieri in imagine, illud quoque verum eſt, etiam oculis quodammodò corporeis Deum Patrem in imagine repræſentari: Dum enim in humana Filii natura Deitatem Filii reſplendentem intuemur, in Filii deinde Deitate & gloria, Patrem contemplamur: & cum dabitur videre Filium in cælis aliquando, tum quidem in eo videbimus totam illam cæleſtem gloriam, quę tota reſplendebit in velo illo humanę in Chriſto naturę; In Chriſto enim eſt incluſa quodammodò tota illa cæleſtis gloria, totum illud cæleſte gaudium, ſic vt ſi quis extra eum quærat aliquam cæleſtis glorię, &

gaudii

gaudii partem, non ſit eam vllibi inventurus. Habes itaque his verbis quæ à nobis expoſita ſunt, primum argumentum deſcriptionis Filii Dei, cuius ſanguine ſumus redempti, ſimulque habes primum fundamentū redemptionis noſtrę, nempe, quòd is cuius ſanguine ſumus redempti ſit eſſentialis imago Dei, ac proinde ipſe Deus: ex quo ſequitur ſanguinem eius, qui eſt pretium redemptionis, eſſe ſanguinem Dei: Ad paſcendam Eccleſiam Dei, quam proprio illo ſanguine acquiſivit. Act. 20. 28. Ex quo ſequitur rurſus redemptionem factam per eius ſanguinem, neceſſariam eſſe & firmam, ſtabilem ac immobilem conſiſtere. *Primogenitus omnis rei creatæ*) Hoc alterum eſt argumentum deſcriptionis Filii Dei, ab æternitate ipſius, ſimulq; alterum eſt fundamentum redemptionis noſtræ. Redemptio noſtra fundata eſt in æternitate eius, cuius ſanguine ſumus redempti, ac proinde oportet ſanguinem redemptoris eſſe pretioſum. Ex quo denique ſequitur redemptionis factæ per tam pretioſum ſanguinem, vtpote æterni illius, neceſſariam eſſe, & firmam ſtabilemque conſiſtere. Quod ad verba attinet, eiuſdem planè ſenſus mihi videntur eſſe cum iis quę ſe-

sequuntur posteà vers. 17, Et ipse est ante omnia. Dicta sunt per allusionem ad primogenitos qui fuerunt in familiis Patrum; vt enim illi erant ante reliquos fratres & ortu illis priores, ita primogenitus Dei, vt vocatur Heb. 1. 6. non modò est primogenitus inter multos fratres, vt dicitur Rom. 8. 29. sed etiam est ante omnem creaturam, vt hîc significatur: neque tantùm verbum primogeniti significat eum esse ante creaturam omnem, sed etiam causam cur existat omnis creatura: Primogenitus enim in familia communicavit bona sua aliis fratribus. Notandum quod cum Filium Dei ab æternitate describit, non absolutè dicat æternum, aut ab æterno esse, sed facta cum creatura comparatione, dicat primogenitum omnis creaturę, hoc est, ante omnem creaturam; Ex comparatione enim creaturę, quę est in tempore, magis nobis innotescit creatoris æternitas, omninoque gloria Dei optimè à nobis conspicitur facta cum creatura cõparatione: vt è contra creaturę vilitas optimè à nobis cõspicitur, facta eius cum creatore cõparatione. Ideoq; Scriptura solet & Deum nobis proponere in cõparatione cum creatura siue mavis antithesi, et creatu-

turam proponere in comparatione & antitheſi cum creatore Deo, ad hoc vt ex comparatione & antitheſi magis conſpiciatur, & Dei excellentia, & creaturæ vilis atque abiecta conditio. Nunquam profectò vidit is Deum qui, vel ſe, vel creaturam vllam nimis magni facit.

Nam omnia per eum ſunt) Oſtendit eum primogenitum eſſe, hoc eſt, non modò ante creaturam, ſed & cauſam eſſe creaturæ, ex opere creationis. Per quem omnia ſunt condita, is eſt ante omnia: at per eum omnia ſunt condita; Ergo is eſt ante omnia. Phraſis indicat Patrem eſſe fontem & originem creationis, Filium verò diſpenſatorem, ſed æqualiter cum Patre operantem. Quæcunque operatur Pater, eadem pariter operatur Filius. Ioh. cap. 5. verſ. 19. Et hoc quoque argumentum eſt deſcriptionis tertium, à creationis opere, & fundamentum eſt redemptionis noſtri tertium; Redemptor noſter creator eſt, hinc oportet ſanguinem redemptionis pretioſum eſſe, ac proinde neceſſariam, firmam, certamque redemptionem. *Quæ in cælis ſunt & quæ*) Res per eum creatas diſtribuit partim ex locis habitationis, quædam in cælis ſunt,

quædam in terris: partim ex naturis ſuis, quædam viſibiles ſunt & corporales, quædã inviſibiles & ſpirituales, vt Angeli. Inviſibiles ſiue Angelos rurſus diſtribuit quodammodò ex titulis & nominibus honorificis, quæ vulgò iis attribui ſolent: quaſi dicat inviſibiles creaturę per ipſum ſunt conditę quocunque tandem nomine inſigniantur, ſiue throni vocentur, ſiue Dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates: Non enim ex hoc loco vel ex aliis huiuſmodi, vt eo qui eſt Rom. 8.38. & Eph. 6. 12. & alibi, colligendi ſunt certi quidam Angelorum ordines & gradus: neque etiam de iis cogitavit Apoſtolus. Nos itaque de illa hierarchia nihil tradimus, ſed iis eam relinquimus quibus in deliciis eſt: tantùm hoc, in explicanda creatura per partes ſuas, & in ea quaſi dilatanda, eadem opera amplificat & dilatat creatoris gloriam: nam ipſe fecit hæc omnia creaturarum diſcrimina, ipſe impertivit hanc gloriã Angelis. Quamobrem tantùm ab eo abeſſe debemus vt quoties intuemur creaturas, quantumvis glorioſas iis gloriam creatoris tribuamus, vt è contra totam earum gloriam, ipſis quodammodò ademptam, creatori deferamus, vt ipſe in earum gloria glo-

glorificetur: & ſic debemus ratiocinari apud animos noſtros, quod ſi tanta ſit creaturæ gloria, quantam oportet eſſe gloriam creatoris benedicti in ſeculum? Nam id certiſsimum eſt ne millèſimam quidem partem gloriæ creatoris communicatam eſſe creaturis quibuſcunque etiam glorioſsimis. *Omnia*, inquam, *per eum & eius reſpectu condita ſunt*) Reſumit poſt diſtributionem factam propoſitum argumentum de creatione: hæc autem repetitio indicat altam profundamque gloriæ redemptoris & creatoris apprehenſionem: Nam ex abundantia cordis os loquitur, & cum plenum eſt cor ſenſu Dei, plenum eſt os ſermone de Deo; &, ſi non poteſt aliis verbis, ſaltem iiſdem repetitis gloriam creatoris explicat & exprimit. *Et in eum*) Amplificatio proximi argumẽti à creatione, ſimulq; argumentum deſcriptionis quartũ, ex eo quod non modo per eum, ſed etiã in eum ad eius gloriam omnia ſunt creata. Architectus aliquis ædificiũ magnificum extruit, non ſibi, ſed alteri, qui ipſo eſt honorabilior & dignior: at verò Filius Dei opificium iſtud mundi fabricavit, non alteri, ſed ſibiipſi; quia nemo eo dignior & glorioſior invenitur. Habes itaque quartum

quod

quoddam fundamentum redemptionis noſtri, nempe, quòd redemptor, vt principium eſt & creator omnium, ita finis eſt omniũ rerum creatarum, vt α eſt ita ω eſt vt in Apocalypſi dicitur: vnde oportet pretioſum eſſe eius ſanguinem, propter cuius gloriã omnia ſunt creata, ac proinde neceſſe eſt noſtra redemptio ſit ſolida, certa, & firma: Sed vt redeamus ad verba, videmus ex hac deſcriptionis parte Filium Dei in creandis rebus omnibus reſpexiſſe ſe & gloriam ſuam, non creaturam aut bonum creaturę primùm, ſed ſe ac gloriam ſuam: Vnde neceſſe eſt, res creatæ quæcunque inſerviant glorię ipſius: Non enim poteſt creator fruſtrari fine propoſito, & neceſſe eſt ille circulus, qui eſt Rom. 11. 36. conſiſtat: Ex eo, per eum, & in eum ſunt omnia, ipſi ſit gloria, Amen. Quod ſi igitur ex eo ſint, profectò neceſſe eſt omnia redeant in eum. Tantùm nobis hoc videndum, qui ſumus eius creaturæ, vt nos quoque reſpiciamus ante omnia creatoris noſtri gloriam, etiam bono, vitæ, ſaluti noſtrę eam prę ferramus, ſi modò inſerviendo glorię ipſius ſimul cum eo velimus glorificari: Inſervire enim glorię ipſius omnem creaturam, etiam cum dedecore ſuo, oportet. Eſt deniq;

quod

quod de Chriſto hoc loco obſervari ab omnibus velim, nempe, nihil vnquam factum à Deo, non modò in tempore, ſed etiam ante tempora ſecularia, quod non ſit factum omne propter Chriſtum, non ſolùm Deum, & Dei Filium, ſed etiam hominem. Prædeſtinatio noſtri ad vitam ab æterno fuit, vt is eſſet primogenitus inter multos fratres, hoc eſt, in gloriam etiam hominis Chriſti. Rom. 8. 29. Creatio in tempore fuit propter eum, & humana natura creata fuit, vt eſſet ex quo deſumi poſſet humana illa, quę in ipſo eſt natura, lapſus hominis propter eum fuit permiſſus. Redemptio propter eum etiam hominem. Propter nos quoque, fateor, hæc omnia & in bonum noſtrum fuerunt, ſed & hæc omnia, & nos propter eum ac propter gloriam Chriſti etiam hominis. Vno verbo hæc omnia nihil ſunt aliud quám media gloriæ ipſius, à Deo ab æterno ordinata, & in tempore facta. Cauſa huius rei hæc eſt. 1. Deus ab æterno decreuit glorificari in Filio ſuo. 2. ab æterno decrevit Filium glorificandum in aſſumpta natura humana. Vnde omnia etiam fuerunt propter humanam Chriſti naturam. Hęc ideò dico, vt de Deo, de Chriſto, etiam homine, magnificè omnia

ſen

sentiamus, & humanę etiam naturæ in Christo gloriam, etiam saluti nostræ ipsorum anteferamus.

Estque ipse ante omnia) Repetit secundam descriptionis partem, simulque secundum redemptionis nostrę fundamentum, etsi verbis non iisdem, sed aliis. Rursus vide profundam redemptoris glorię apprehensionem, & cor plenum Deo. Hæc nobis observanda sunt ad imitationem, vt & nos quoque similiter de Deo & sentire animo, & loqui ore discamus. *Et omnia per eum*) Hæc est quinta pars descriptionis, simulque redemptionis nostri fundamentum quintum. Redemptor noster non modò creator est, sed etiam conservator omnium rerum creatarum. Qui ædificat domum postquam ædificavit eam, non ampliùs curat aut conservat ædificatam: qui extruit navem postquam extructa est, non ampliùs curat aut conservat eam. At verò res creatæ creatori perpetuò sunt curę, & eius providentia iis invigilat. Vides itaque hic aliud fundamentum redemptionis nostrę, providentiam creatoris, quę res creatas omnes conservat & sustentat. Vnde oportet pretiosum esse redemptoris nostri sanguinem & firmam redemptionem: Tantùm

tùm nobis laborandum eſt, vt eam firmiter apprehendamus, non vt eam magis ſtabiliamus (nam in ſe abundè firma eſt) ſed vt apprehenſa ea, nos in ea firmiter conſiſtamus.

18 *Eſtq; caput corporis Eccleſiæ, principium et primogenitus ex mortuis, vt in omnibus primas teneat.*

19 *Quoniam in eo placuit* Patri *vt omnis plenitudo inhabitaret:*

20 *Et pace per ſanguinem crucis eius factâ, per eum reconciliare omnia ſibi, per eum, inquam, tam quæ in terra, tam quæ in cælis.*

Eſtq; caput corporis) Hactenus fuerunt quinque partes deſcriptionis Chriſti, quę omnes ſunt propriè partes deſcriptionis Chriſti vt is Filius eſt Dei, Deus ab æterno cum Patre & Spiritu ſancto. Sequuntur aliæ quinque, quę partes ſunt deſcriptionis Chriſti, non modò vt Deus eſt, ſed etiam vt homo eſt, Deus & homo in vnitate perſonæ. Hę quoque, vt ſuperiores illę, argumenta totidem ſunt gloriæ ipſius, cuius ſanguine ſumus redēpti. Ex his quinque poſterioribus prima occurrit, quod ſit caput corporis Eccleſię; Eſt autem hęc deſcripti-

scriptionis pars numero sexta : Verbum capitis quod Domino attribuitur, significat quidem Christum Dominum esse Ecclesiæ, vt accipitur idem hoc verbum Colossens. cap. 2. vers. 10. Qui est caput omnis imperii ac potestatis : Id quod etiam arguit caput humanum, vnde verbum hoc translatum est: Nam caput humanum est tanquam Dominus subiecti corporis : Sed Dominum significat qui summa necessitudine, & arctissimis vinculis sit conjunctus cum corpore, vt caput humanum arctissimè coniunctum est cum corpore, ac proinde propter hanc coniunctionem arctissimam, quicquid in ipso sit, communicet cum corpore suo, quemadmodum caput humanum vitam, sensũ, ac motum communicat cum corpore suo. *Corporis Ecclesiæ*) Ecclesia vicissim corpus dicitur propter similitudinem, quam habet cum corpore humano. Corpus humanum subiectum est capiti tanquam Domino suo, sic Ecclesia Christi subiecta est Christo Domino, vt loquitur Paulus Eph. 5. 24. Corpus humanum arctissime coniunctum est cum capite suo, sic Ecclesia cum Christo capite suo : Corpus humanum capit vitam, sensum ac motum à capite

pite ſuo, ſic Eccleſia ex Chriſto haurit ſpiritualem illam vitam : denique corpus humanum eſt complementum capitis, ſic Eccleſia eſt complementum capitis, Chriſti : vnde Eccleſia cum Chriſto coniuncta complet hominem, qui eſt Chriſtus myſticus. Eph. cap. 1. verſ. 23. & Epheſ. 2. 15. Quod Chriſtus ſit caput Eccleſiæ ſuæ, id illi magnam affert gloriam, imò incommunicabilem, quę non poſsit communicari cum vlla creatura, vel homine, vel Angelo, quorum neuter dici poteſt caput Eccleſiæ, ne Miniſteriale quidem: Nam de miniſtris Chriſti paſsim legimus in ſcriptura, ſed de Miniſteriali capite nihil vſpiam. Sublimis quidem igitur eſt hic gloriæ gradus, ſed difficulter (vt ſic liceat loqui) Filius Dei ad eam pervenit : Humiliatus enim eſt ad hoc vt extolleretur ad hanc ſublimitatem : Nam cum eſſet in forma Dei ac non duxiſſet rapinam æqualem eſſe Deo, primùm ipſe ſe exinanivit aſſumpta ſervi forma (qua nimirùm opus erat ad hoc vt evaderet caput Eccleſiæ : oportuit enim caput hominum eſſe hominem) Deinde habitu compertus vt homo obediens factus eſt Patri ad mortem, mortem au-

autem crucis. Atque hęc fuit humiliatio Filii Dei: hinc secuta est exaltatio: Quapropter extulit eum Deus in summā sublimitatem deditq; ei nomen supra omne nomen, &c. Phil. 2. 6. 7. et deinceps. Gradus exaltationis apertiùs distincti sunt Eph. 1. 20. 21. 22. Nam primùm excitavit eum Pater ex mortuis, deinde collocavit eum ad dexteram suam, hoc est, vt posteà exponit ibidem, collocavit eum supra omne imperium ac potestatem, & constituit eum caput super omnia ipsi Ecclesię. Vide hîc postremò nominatur hic gradus glorię in quem postquàm humiliatus est, eum exaltavit Pater. Vt autē Christus humiliatus est primùm, deinde exaltatus est ad hunc glorię gradū: Ita & membra corporis oportet humiliari, vt exaltentur ad hunc glorię gradum, ad hoc vt membra evadant tam glorioſi capitis: Hoc quod diximus de hac parte descriptionis & glorię Christi, eodem spectat, quo iam diximus spectare alias partes descriptionis & glorię ipsius, nempe, vt videamus tam glorioſi Redēptoris tam pretiosum sanguinem, ac proinde necessitatem, & stabilitatem redemptionis, quæ facta est per tantum λυτρον. *Principium & primogenitus*) Hæc est descriptionis

pars

pars ſeptima, quæ ipſa eſt Chriſti hominis, eſt principium, inquit: tum verbum hoc clariùs exponit dum vocat, Primogenitum ex mortuis. Suprà verſ. 15. dictus eſt primogenitus omnis creaturæ, non tantùm quod fuerit ante omnem creaturã, ſed etiam quod omnis creatura virtute quadam Filii Dei ipſi communicata cœperit eſſe. Primogenitus enim in familiis Patrũ non tantùm primùm omnium genitus eſt, ſed etiã bona quę ipſius erant cum reliquis fratribus communicavit: Ita nunc dicitur primogenitus ex mortuis, non tantùm quia primus omnium ex mortuis reſurrexit, ſed etiam quia virtute eius mortui reſurgunt ad vitam æternam. Vtraque hac de cauſa dictus eſt primitiæ eorum qui obdormierunt 1. Cor. 15. 20. Ergo Dominus vt principium & author fuit creationis: Ita principium & author eſt reſurrectionis, quæ nihil aliud eſt quàm nova quædam creatio: Nam vetus illa creatio deperdita fuit in lapſu primi hominis, & quodammodò homo redactus eſt in nihilum, & tandem propter peccatum reſoluitur in pulverem: vnde reſurrectio ipſius eſt quædam quaſi creatio, & qui reſurgit ex mortuis denuò quaſi creatur. Habes

itaque in hac septima parte descriptionis Christi septimum fundamentum Redemptionis factæ per sanguinem Christi: Quod enim Redemptor noster Christus sit primogenitus ex mortuis & principium resurrectionis, id argumento est precii sanguinis, & proinde necessitatis ac stabilitatis Redemptionis nostrî. *Vt in omnibus primas teneat*) Hîc finis est proximæ partis descriptionis; Ideò enim primus resurrexit, vt in omnibus primas teneat. Hunc ipsum finem mortis & resurrectionis Christi habet Paulus Rom. 14.9. Mortuus est, inquit, & resurrexit & revixit, vt mortuis ac viuẽtibus dominaretur. Sed hæc quoque pars est descriptionis & glorię Christi, vt etiam homo est. Significat autem ea non speciale dominiũ quod est respectu Ecclesię tantùm, qua ratione dictus est caput Ecclesiæ, sed generale dominium quod est respectu omnis creaturę. De hoc generali dominio locutus est Christus quum dixit, Data est mihi omnis authoritas in cœlo & in terra. Matt. 28.18. Et Paulus Eph. 1.20.21. Collocavit eum ad dextram suam in cælis longè supra omne imperium, & Phil. 2.9. Extulit eum in summam sublimitatem & donauit ei nomẽ quod est supra omne nomẽ &c.

&c. Est autem dominiū hoc Christi etiam hominis, quod consequtuū est resurrectionem ipsius, & quòd factus fuerit primitiæ resurgentiū: æquū enim est, vt qui primus resurrexit, & cuius virtute alii omnes resurrecturi sunt ad vitam, æquum, inquam, est vt inter omnes primas teneat: sed vt superiores descriptionis partes, ita & hæc pars arguit pretiū sanguinis Christi & necessitatem Redemptionis factæ per tam pretiosum sanguinem. *Quoniam in eo placuit*) Sequūtur duo argumēta generalis huius dominii per occupationem: dici enim potuit, Quid excellens habet Christ⁹, vt inter omnes primas teneat? respondet primū à persona Christi, deinde ab officio: quod ad personam, omnis plenitudo in ipso inhabitat, quod ad officium, mediator est reconciliationis nostrî cum Deo: De persona Christi ac primo argumento dicamus priori loco. *Quoniā*, inquit, *placuit*) Fundamentū excellentię, tum personę, tum officii, collocat in beneplacito Dei, & in decreto ipsius quod fuit inde ab æterno : vnde discimus in iis quæ ad Christum pertinent, siue humiliationem, siue glorificationem eius respiciant, in Dei voluntate & decreto conquiescendū: Nihil enim accidit ipsi sine decre-

to & definito Dei consilio. Act. 2. 23. *Vt omnis plenitudo*) Hoc primum est argumentum generalis dominii, à persona Christi, in qua cum inhabitet plenitudo omnis, meritò primas obtinet: Plenitudinem hanc exponit posteà, cap. 2. primùm quum dicit in ipso esse absconditos omnes thesauros cognitionis & sapientiæ, ver. 3. deinde cum dicit in eo inhabitare omnem plenitudinem Deitatis corporaliter, vers. 9. Ergo plenitudo hæc est non modò, qua vt homo vnctus est gratia supra consortes suos, sed etiam qua in homine inhabitat Deitas, & Deo plenus est. Et hæc quoque numeratur inter partes descriptionis & gloriæ Christi, & nona est numero : Ex qua & illud colligimus quàm pretiosus sit sanguis Redemptionis nostræ, vtpote sanguis eius in quo inhabitat omnis plenitudo: vt deinde sciamus quàm necessaria, certa, firmaq; sit nostri redemptio facta per tam pretiosum sanguinẽ. *Et pace per sanguinem*) Hoc alterũ argumentum quo docet Christum tenere primas inter omnes creaturas, siue quo probat ipsius vniversale dominium, est autem ex officio mediationis; Vt prius illud à persona fuit, ita hoc ab officio Christi sumptum est. Pro mediatoris nomine ha-

habemus his verbis ipsius descriptionem, Mediator enim is est per quem visum est Patri reconciliare sibi omnia, &c. Quia autem describitur Mediator ex reconciliatione, ideò de reconciliationis beneficio dicemus, & ea tantùm dicemus quæ nobis verba contextus offerunt. Primùm itaque videtur hoc beneficium reconciliationis non differre reipsa à beneficio vocationis: Nam Deus vocando nos sibi reconciliat & reconciliando vocat: Vocatio enim nihil aliud est quàm fœderis Dei renovatio in qua nobis iustitia & vita promittuntur, si credamus in Christum. Quid autẽ est hoc aliud quàm reconciliatio facta percusso novo fœdere? Nomen reconciliationis significat amicitiam contractam vel gratiam initam inter duas partes, inter quas priùs inimicitiæ fuerunt: Neque id tantùm, sed amicitiam redintegratam inter duas partes, inter quas primùm amicitia intercesit; deinde inimicitiæ intervenerunt propter offensam aliquam ab vna parte in alteram factam. Hæc nominis est generalis significatio. Reconciliatio igitur nostri cum Deo est redintegratio amicitiæ quæ primùm intercesit inter nos & Deũ, deinde perrupta est propter offen-

ſam noſtram. Eodem ſenſu vſurpatur nomen recollectionis Eph. 1. 10. verbum itaque reconciliationis vel recollectionis tria in ſe ineludit, primò veterẽ amicitiam quę in prima creatione interceſsit inter nos & Deũ noſtrũ creatorem: ſecundò inimicitias ſequutas ex defectione noſtra: tertiò amicitiam redintegratam per Mediatorem. In ipſo igitur reconciliationis nomine videmus inde à principio fuiſſe tres hominis conditiones: Primã, qua amicus Dei fuit, ideoq; beatus: nam beatitas noſtra poſita eſt in κοινωνία cum Deo: ſecundam, qua inimicus Dei fuit, ac proinde miſer, quia miſeria hominis poſita eſt in ſeparatione à Deo & in diſsidio ac diuulſione à capite: Tertiam, qua redit in amicitiam cum Deo, in qua cernitur renouatio beatitudinis & maioris quidem beatitudinis quám quę fuit in initio: nam prima illa beatitudo mutabilis fuit, vt quę fuerit abſque Mediatore: hęc autem beatitudo immutabilis eſt, vt quę conſiſtat in Mediatore, qui in æternum intercedit inter nos & Patrem, ac proinde oportet æternam perpetuamque eſſe beatitudinem: tam enim impoſſibile eſt perire hanc beatitudinẽ in Chriſto Mediatore renouatam, quàm impoſsibile

eſt

est mediatorē disistere ab intercessione illa, & finē facere pontificatus sui, de cuius perpetua duratione vide Epist. ad *Heb.* De nomine recōciliationis hactenus. Nunc de reconciliationis authore secundo loco dicē dum aliquid. Recōciliationis author est pater: nam placuit (inquit) Patri recōciliare: nos quidē fuimus authores inimicitiarū, sed Pater amicitię redintegratę author fuit; nos enim cum volum⁹, possum⁹ nos à Deo separare, sed non in nobis sitū est nosipsos rursus cum Deo coniungere. Sed quis hic pater est? nēpe pars altera aduersaria: Rarò fit vt pars aduersaria author sit reconciliationis: vt hic videas raram Dei gratiā. Sed quę pars aduersaria? nempe ea cui illata est iniuria, non quę prior iniuriam intulit: imò nihil iniustè potest facere. Hoc quidē multò rarius invenitur, vt ea pars aduersaria author sit reconciliationis, quę prior est lęsa ac offensa: vt hîc videas incomparabilē misericordiā & charitatē, de qua *Paul. Rom.* 5.6.7. &c. qua Deus inimicos suos ita dilexit vt cum iis recōciliari voluerit, & vt recōciliatio fieret dedit filiū suū vnigenitū cuius morte interueniente recōciliatio est facta: hactenꝰ de recōciliationis authore, nunc tertio loco videndū quid Patrē impulerit

ad reconciliationem hanc faciendam. *Placuit*, inquit, *Patri*) Impulit eum non causa aliqua extra ipsum in nobis existens, sed ipsius beneplacitum solum, hoc est, decretum ipsius factum de reconciliatione ab æterno, & factum ex mera gratia, quod quidem quum venit plenum tempus, in quo datus est mediator, executioni est mandatũ. Hoc igitur verbum beneplaciti, excludit à reconciliatione meritum omne hominum in quibus fuit materia, & meritũ duntaxat inimicitiarũ æternarũ, & πόλεμου ἀσπονδου, belli irreconciliabilis. Nunc quarto loco videndum quæ visum est Patri reconciliare. *Omnia*, inquit,) & in fine versus vniversalitatem hanc per partes explicat: *Omnia*, inquit, *tum quæ in terra sunt, tum quæ in cælis*) Vniversalis hæc particula (*omnia*) non extendit se ad omnem creaturam, ne ad omnes quidem creaturas rationales, vel Angelos (nam Diaboli qui statione suam deseruerunt, non reconciliantur in æternum) vel homines (nam reprobi nunquam reconciliantur) sed patet particula vniversi generis ad solos electos, siue Angelos, siue homines, hoc est, ad Ecclesiam Dei. De hominum electorum reconciliatione nulla quæstio est: Nam hi inimici erant Deo: Recon-

conciliantur autem propriè qui inimici erant: Cum essemus inimici reconciliati fuimus Deo per mortem Filii eius. Rom. 5. 10. De beatis Angelis tota quæstio est: Quomodò enim Deo reconciliari dici possunt qui Deo nunquam erant inimici? Respondeo, Si Angeli beati in se spectentur extra Ecclesiæ totius corp^, profectò reconciliari Deo non dicuntùr: Non enim erant inimici Deo, sed à principio steterunt in obedientia ipsius, & in beata illa cum ipso κοινωνία. Sin verò spectentur vt in toto sunt corpore, hoc est, in Ecclesia sunt, quæ constat ex Angelis & hominibus electis, certè cum non anteà in toto corpore coniuncti fuerint cum capite suo Deo, aliquo modo dici possunt cum Deo reconciliari, nempe non in se, sed in corpore, hoc est, in tota Ecclesia. Dicam hoc clariùs. Duplex ab initio fuit Angelorum conditio: prima ante Christum mediatorem & reconciliationem per ipsum factam, qua adhæserunt quidem Deo capiti, cum eoque coniuncti sunt: sed non ita arctè & firmiter, cum in toto corpore non fuerint coniuncti cum eo. Altera post Christum & reconciliationem, qua cœperunt in toto corpore Ecclesiæ iam firmiter per mediatorem coniungi cum

cum capite ſuo Deo. Nam etſi per Chriſtum mediatorem non ſint ſublatæ inimicitię aliquę quæ inter Deum & Angelos fuerunt aut etiam coniunctio, quæ anteà non fuit omninò recens facta: tamen negari non poteſt per Chriſtum coniunctionem eam quę fuit arctiorem & firmiorem factã eſſe, vel hac ſola ratione, quod Chriſtus in adventu ſuo vniverit eos cum capite Deo in corpore Eccleſiæ toto: firmiùs enim cohęrent membra cum capite in toto corpore quã ſeorſim à reliquo corpore cohærere poſsint. Nota igitur, etiã ipſi Angeli beneficium habent ex Chriſto mediatore, & reconciliatione per eum facta: Nam per eum iam firmiter in corpore cum capite cohęrent. Beati quidem erant ante Chriſtum, ſed in ipſius adventu facti ſint beatiores. Quamobrẽ, quemadmodũ veteres illi ſancti Patres, Abrahã, Iſaac, & alii, deſiderârunt videre diem Chriſti. Ioh. 8. 56 Ita quoq; & Angeli: & etiamnum, ait Petrus. 1. Epiſt. cap. 1. 12 deſiderant introſpicere in illud myſterium Chriſti patefactum. Secundò vide Dei providentiam erga nos, & dilectionem qui noluit ne Angelos quidem ipſos plenam beatitatẽ conſequi ſine nobis, id quod Apoſt. ad Hebręos dixit

dixit de ſanctis illis martyribus, qui ante Chriſtum fuerunt. Non, inquit, obtinuerũt promiſsũ, quòd Deus quiddã meli⁹ providerat de nobis, ne abſq; nobis conſecrarentur. Heb. 11. 39. 40. Deniq; obſerva, quòd ſi ne Angeli quidem ipſi plenè glorificati ſint niſi in corpore Eccleſię, quantò minùs nos extra communionẽ illam ſanctorum gloriam conſequemur. Hactenus de iis qui reconciliati ſunt: Nunc quinto loco de eo cui facta eſt reconciliatio dicendum. Ait igitur (*ſibi*) id eſt, Patri. Nulla enim beatitas eſt quibuſuis, ne Angelis quidẽ, niſi in illa κοινωνία cum capite ſuo Deo in Chriſto Ieſu. Sed vt de nobis, hoc eſt, hominibus loquar, quia Deo inimici eramus, ideò oportuit Deo reconciliari: Inimici quoque fuimus omni creaturę, quæ ſtetit in Dei obedientia, ac proinde cum ea reconciliati ſumus, ſed ſecundo loco: Nam & inimici fuimus ei, quia Deo: & reconciliati ei, quia Deo; amicitia enim & inimicitię cum creatura pendent ab amicitia & inimicitiis cum Deo creatore & redemptore: Ideò vt quiſque amicus eſt Deo, ita amicus fit creaturæ, quæ perſiſtit ſuo quæque modo in Dei obedientia: Contraque vt quiſque inimicus eſt creatori Deo,

ita

ita inimicus fit creaturę, quæ perſiſtit in ipſius obedientia: Nunc ſexto loco dicendum de eo per quem reconciliatio eſt facta. *Per eum*, inquit) Hæc gratia reconciliationis eſt per mediatorem, qui primùm ſatisfecit Iuſtitiæ & Iræ, deinde gratiam ac miſericordiam promeritus eſt. Nam duo ſunt conſequentia mortis Chriſti mediatoris, ſatisfactio, & meritum; hanc gratiam & miſericordiam quæ eſt per mediatorem ex eoque & ipſius merito quaſi exiſtit, præceſsit gratia illa qua datus eſt pro nobis mediator Ieſus Chriſtus: Nam Deus eum pro nobis tradidit. Rom. 8. 32. Ecce igitur non vnam in reconciliandis nobis Dei gratiam. Eſt etiam in reconciliandis nobis Iuſtitia & ira, ſed Iuſtitia & ira, non in nos, verùm in mediatorem noſtra cauſa: Nam ipſa illa ira quæ fuit in mediatorē mutata eſt in miſericordiam erga nos. Nihil igitur niſi miſericordia erga nos conſpicitur in hoc reconciliationis beneficio. Hactenus de Mediatore per quem reconciliati ſumus Deo: Nunc ſeptimo loco ſequitur, vt dicamus de modo quo ſumus reconciliati. *Pace*, inquit, *per ſanguinem crucis eius facta*) Quaſi dicat, facta reconciliatione per ſanguinem. Sed verbum pacis ſubindi-

dicat non tantùm fuiſſe inter Deum & nos inimicitias, aut odium occultum, ſed etiam apertum bellum. Nam pax & bellum contraria ſunt, duravit autem hoc bellum inde à lapſu hominis primi ad adventum vſque Chriſti, quo toto tempore palam fuit è cælo ira Dei in omnem hominum impietatem & iniuſtitiam: & peccatum regnavit ad mortem. Rom. 1. 18. & 5. 21. & nondum patefacta fuit via ad Sacrarium priori tabernaculo adhuc conſiſtente Heb. 9. 8. *Per ſanguinem*) Hic modus eſt reconciliationis factæ, qui fuit per pretium ſanguinis: non per preces tantùm, ſed per pretium: Empti eſtis pretio. 1. Corint. 6. 20 Pretium autem hoc fuit, non auri, aut argenti, aut rerum vllarum caducarum, ſed ſanguinis pretioſi Agni immaculati ait Petrus. 1. Epiſt. 1. 18. hoc eſt, mortis, non quidem vulgaris alicuius, ſed crucis, Philip. 2. 8. Obediens factus eſt vſque ad mortem, mortem autem crucis; quo ſignificat mortem execrabilem. Nam execrabilis quiſquis pendet in ligno. Deut. 21. 23 Galat. 3. 13. Ex hac morte, & morte quidem tam execrabili, obſerva primum, quantæ fuerunt inimicitiæ, quantum odium Dei, quod non potuit pacari niſi tanta morte:

morte: deinde quanta sit amicitia inita & contracta inter nos & Deum, quæ non redempta est nisi tanto pretio. Hęc eò spectant vt & abhorreamus inimicitias cum Deo, & amplectamur totis animis amicitiam tam charam & præclaram. Vt de hoc postremó admoneam, decimum hîc habemus quasi fundamentũ redemptionis nostrî, & decimum argumentum descriptionis Christi. Est autem mediationis illud officium omni exceptione maius. Mediatoris autem sanguinem oportet pretiosum esse, ac proinde redemptionem per eum factam necessariam firmam ac præclaram. Hactenus ergo dictum sit de Christo, & de eius descriptione tam magnifica, in qua & in cuius singulis partibus fundata est nostrî Redemptio.

21 *Itaque vos quondam abalienatos & hostes, mente operibus malis* intenta, *nunc sanè reconciliauit.*

22 *In corpore illo carnis suæ, per mortem: vt sisteret vos sanctos & irreprehensos & inculpatos coram se.*

ITaque *vos quondam abalienatos*) Omnia magnifica illa quæ prædicavit de Filio

lio Dei, quodammodò applicavit ad Ecclesiam in genere, quum dixit per eum Patrem reconciliasse omnia sibi: nunc ea applicat ad particularem Ecclesiam, quæ fuit Colossi, dum reconciliationē illam in specie ad ipsam applicat. Gloria enim capitis est corporis, hoc est, Ecclesię: neque Ecclesię tantùm in genere, sed particularium Ecclesiarū; neq; particulariū tantùm Ecclesiarum, sed & singularū personarū, vt nemo sit qui Christo invideat gloriam suam. Invident quidem homines terrenis regibus & dominis gloriam suam, cuius nō fiunt ipsi participes, sed fidelium nemo est qui cęlesti illi Regi ac domino invidet gloriam illam multò maximam, cùm nemo fidelium sit qui non potest eam gloriam sibi quodammodò vendicare vt suam; si enim Christus ipse noster est, omnia Christi nostra sunt, Sed videamus verba. *Itaque vos*, inquit, *nunc sanè reconciliauit*) Primùm hîc nobis consideranda est persona reconcilians. Quum de reconcilatione Ecclesiæ in genere loquutus est, eius authorem fecit Patrē. Visum est Patri reconciliare, suprà v. 19. nunc verò mutat personā, vt apparet ex contextu, dum de reconciliatione

Co-

Coloſſenſiũ in ſpecie loquitur, & Filium dicit reconciliaſſe eos in corpore carnis ſuæ: Nam illud αὐτῦ legitur in omnibus ferè Græcis codicibus cum ſpiritu aſpero, vt ſit pronomen reciprocum. Perſonam reconciliantem ideò mutaſſe videtur, vt videamus Chriſtum Filium Dei in opere hoc reconciliationis, non modò patientem, vt ſuprà, ſed etiam agentem, non modò ſacrificium, ſed etiam ſacrificatorem. Quàm libenter enim Pater eum obtulit, tam libenter ipſe ſeſe obtulit pro nobis: niſi enim voluntarium fuiſſet ſacrificium, & volens ſeſe obtuliſſet, profectò nihil nobis profuiſſet. *Quondam abalienatos*) Hoc ſecundo loco in textu conſiderandum venit de conditione eorum, quæ & quàm miſera fuerit antequam eſſent reconciliati. Non enim videmus beneficium præſentis reconciliationis niſi in ſpeculo quaſi priſtinæ miſeriæ, neque ponderamus magnitudinem præſentis beneficii, niſi in eadem lance cum priſtina miſeria; neque ſenſus eſt in hac vita beatitudinis noſtræ, niſi cum ſenſu miſeriæ noſtræ, peccati & mortis, coniunctus. Ideoque Apoſtolus dum loquitur de præſenti beneficio & fælicitate, ſimul meminit priſtinæ miſeriæ & infælicitatis.

Sed

sed notanda sunt pauló diligentiùs verba ipsa contextus quibus pristinam eorũ miseriam exprimit: *Quondã* (inquit) *abalienatos*), Hic primus est gradus miserię eorũ pristinę erant abalienati & extranei, à Deo, ac proin de à republica Israelis, vt loquitur Apost. de Ephesiis, Eph. 2. 12. & cõsequenter abalienati à vita Dei, vt loquitur. Eph. 4. 18. et consequenter mortui in peccatis & offensis, vt loquitur. Eph. 2. 1. Nam qui expers est vitæ Dei, etsi viuat vitam hanc naturalem quàm maximè, tamen mortuus est. Notandum quod dicat eos abalienatos, hoc est, peregrinos factos, non autem perreginos, non ἀλλοτρίους, sed ἀλλοτριωμένους quo verbo significat non esse nos peregrinos per creationem, sed per nostram ipsorũ defectionem. Nam peccata nostra diuiserunt inter nos & Deum nostrum. Isai. 59. 2. Deinde obseruandum quòd non dicat Deum abalienatum fuisse ab iis, sed abalienatos eos à Deo: Nam Deus author abalienationis non extitit, verùm nos. Quod ad Deum, vt propriè dicam, nunquam abalienat se ab electis suis, ne tum quidem cum ipsi se abalienant ab eo. Amor enim ille quo eos prosecutus est ab æterno non est mutabilis. *Hostes*) Hic alter & altior quidam gradus est miseriæ eorum:

rum: non modò abalienati erant à Deo, sed etiã hostili odio Deum sunt prosecuti: Hic miseriæ gradus posterior necessariò adeò priorem sequitur, vt non possit abalienatus quis esse à Deo quin ipsi sit inimicus. Inter homins (fateor) fieri potest vt sit quis abalienatꝰ sit ab aliquo, neq; tamẽ hostis sit illi, sed non potest quis abalienatus esse à Deo nisi idẽ sit hostis Dei. Nam qui non est mecum, inquit Christus, est contra me. Mat. 12. 30. Qui non congregat mecũ disgregat. Nullus modus est defectionis vbi quis semel cœpit à Deo suo deficere. *Mente*) Primam sedem abalienationis & inimicitiarum assignat, non corpus, non os, non manum, non oculum, &c. sed animam, non inferiores animæ facultates, non appetitum sensibilem, non affectiones, sed mentem ipsam, quam oportuit esse præstantissimam & facultatum aliarum dominam & ducem. Inimicitię ortum habentes à mente pervaserunt totum hominem, tam animam, quam corpus. Ne[illegible] dominꝰ, Si lumen quod est in te[illegible] sunt, ipsæ tenebræ quantę. Matt. [illegible]. *Operibus malis intenta*) Primã sedem & [illegible]ntem abalienationis et inimicitiarũ ostendit fuisse mentem, ex eo quod ipsa tota intenta fuerit

fuerit operibus malis, occupata cogitationibus pravis: nam prima omniũ cogitat de malo, quod deinde reliquę facultates animę simulque organa corporis exequuntur: qui primus capit consiliũ mali alicuius adversus aliquem is primus est inimicus: At mens prima consiliũ mali capit: ergo mens prima inimica et inimicitiarũ caput atq; fons est. Ideoq; Paul. Eph. 4. 23. vult mentem primùm omnium renovari. Renovari spiritu mentis vestrę. Philosophi huius rei ignari erant: Papistę in tanta luce Scripturarum nolunt eam videre. *In corpore illo*) Sequitur modus quo Filius Dei reconciliavit eos sibi, Est autem duplex. Prior est his verbis, *In corpore illo carnis suæ*) hoc est, assumendo sibi corpus carnis. Corpus carnis ideò vocat, vt significet corpus à Domino assumptum, non phantasticum, non Mathematicum, non Maiestaticum, sed verũ corpus humanum, constans carne, sanguine, & ossibus, & humana anima inspiratum. Posterior modus est his verbis: *Per mortem*) Id est, moriendo: Nihil enim nobis profuisset corpus carnis, nisi in sacrificium fuisset oblatum. Christus enim crucifixus est, per quem nos reconciliamur Deo & servamur. Nota,

Pater reconciliando nos sibi non dedimisit se è sede sua glorioſa, sed permanens in gloria sua opus reconciliationis noſtri peregit. Filius autem in nobis reconciliandis, vt à Patre humiliatus est, ita seſe ipse humiliavit & inanivit assumpta forma servi, & habitu compertus vt homo obediens factus est Patri ad mortem, mortem autem crucis. Phil. 2. 7. 8. Etsi autem dissimiles fuerunt Pater & Filius in opere reconciliationis perficiendo: tamen pares fuerunt misericordia, & par gloria vtrique deferenda. Deinde non est hoc prætereundum quod iam dicat per mortem Christi reconciliatam esse hanc particularem Ecclesiam quæ fuerat Coloſsi, quum dixerit superiùs vniversam Ecclesiam per ipsius sanguinem esse reconciliatam. Ex quo colligimus Christum inter moriendum rationem habuisse non tantùm Ecclesiæ vniversalis, sed & particularium tam præsentium, quàm futurarum: Neque tantùm particularium Ecclesiarum, sed & personarum singularum, quotquot ad vitam ab æterno sunt prædestinatæ. Vnde enim est quòd hanc in nobis singuli mortis Christi efficaciam sentiamus? Profectò nisi pro singulis distinctè seſe obtulisset, sin-

singuli non sentiremus mortis eius efficaciam. Postremò hîc quęri potest, quomodò hoc dictum sit, Colossenses reconciliatos esse per mortem Christi, quum non nisi satis longo post mortem Christi tempore sint reconciliati, per ministerium nimirùm Epaphræ? Respondeo. Reconciliatio duplex est: Prima meriti, quæ tum fuit omnium electorum quum Christus est crucifixus: Nam tum fuit meritum reconciliationis omnium & quorumcunque electorum, præsentium, & venturorũ: Tum etiam fuit reconciliatio Colossensium ratione meriti. Altera est reconciliatio efficaciæ, quæ non est nisi quo tempore electi efficaciter reconciliantur Deo. Sic Colossenses reconciliati sunt efficacię huius ratione, aliquanto tempore post Christi crucifixionem. Loqui autem videtur Apostolus hoc loco de reconciliatione efficacię: Ait enim reconciliavit nunc, hoc est, hoc ipso tempore, quum incepit mors Christi in vobis efficax esse per ministerium Epaphræ. *Vt sisteret vos sanctos*) Finis est reconciliationis eorum, vt sint sancti, ac proinde irreprehensibiles & inculpati: Nam reprehensionis & culpationis materia est in peccato: vbi verò nullum pec-

catum, ibi nulla reprehensionis vel culpationis materia. Loquitur autem hîc de sanctitate quæ in altera vita perficienda est, quę tamen adeò necessariò inchoatur in hac vita, vt nisi incipiat quis hîc sanctus esse, et sanctè viuere, non sit efficaciter Deo reconciliatus. Ex hoc fine alter sequitur, vt iam sanctos sistat coram se, nempè, in adventu suo. Nota, sancti sunt qui sistendi sunt coram Domino, &, Sine sanctimonia nemo videbit Dominū. Heb. 12.14. Verbum quod in Græco textu legitur significat personalem, (vt sic dicam) alicuius præsentationem coram aliquo: Ergo nostræ ipsorum personę aliquando sistendę sunt coram Domino, & mutua futura est præsentia. Ipse nostras personas intuebitur, et nos eius vicissim: quod si tum sanctificati coram eo comparebimus, vt mutua futura est præsentia, ita mutua futura est voluptas ex mutua præsentia. Sistemur enim coram eo vt sponsa coram sponso suo. 2. Cor. 11.2. Eph. 5. 23. et deinceps: Mutua autē sponsi & sponsę præsentia habet mutuā voluptatē: quamobrē quum mutua futura est præsētia Christi & nostri, futura est lætitia ineffabilis, & nos vicissim erimꝰ alii aliis delicię in sēpiternū

23 *Si quidem permanetis in fide fundati & firmi, nec dimouemini à ſpe Euangelij quod audiſtis, Euangelii, inquam prædicati &c.*

Si quidem permanetis in fide) Hic poſt doctrinã de beneficiis Chriſti & de Chriſto tradita aggreditur adhortationem ad perſeverantã in fide, quam in hac quarta Epiſtolę huius parte inſtituit. Cũ adhortatiõe cõiungit admonitionẽ vt caveãt ſibi à falſis doctoribus, vt videbimus poſtea. Huius, perſeverantię conditione ſuſpendit proximũ reconciliationis beneficium, quod iis applicatũ eſt, quaſi dicat. Et vos nunc recõciliauit, &c. ſi modò permanetis in fide. Primũ itaq; argumentũ exhortationis eſt à recõciliatione, hoc modo. Si permanetis in fide, vos nunc reconciliauit in corpore carnis ſuę per mortẽ, vt ſanctos & irreprehenſibiles ſiſtat corã ſe. Ergo permanete. Nota igitur, perſeverantia in fide Mediatoris eſt quæ facit vt reipſa reconciliemur Deo, & ſtemus in gratia: quod ſi quis non perſeveraverit in fide Mediatoris, per quẽ reconciliatio eſt facta, profectò non recõciliatus eſt reipſa & efficaciter, quia nunquam vera fide apprehendit Mediatorem, per quem Pater nos ſibi reconciliat. Perſeverantia arguit veritatem fidei, & fidem ἀνυπόκριτον, non ſimulatam, quam

qui habent ſoli veré at ſolidè ſunt reconciliati Deo. Deinde obſeruandum quod primùm omnium requirat perſeuerantiam in fide, non autem perſeuerantiam in ſpe, de qua poſteà eodē hoc verſu, non perſeuerantiam in ſanctitate de qua proximè dixit v.22. Nam quum plures ſint perſeuerantiæ modi, primus eſt perſeuerantia in fide Chriſti, hoc eſt, in cognitione, ſimulque apprehenſione Chriſti, in qua qui perſeuerat facile perſeuerat in aliis quibuſcunque. Qui perſeuerat in fide Chriſti, perſeuerat in ſpe: Qui perſeuerat in fide, perſeuerat in ſanctimonia vitæ: At qui non perſeuerat in fide ſimul cum fide amittit alia quæcunq;. Ergo imprimis videndum vt perſtemus in fide Chriſti. *Fundati et firmi*) Perſeuerantiæ modum indicat his verbis: Ita demū permanebimus in fide, ſi fuerimus fundati primùm, hoc eſt, exſtructi, vt ædificium quod exſtruitur ſuper fundamentū ſolidè iactū: deinde ſi fuerimus firmi, ἑδραῖοι, hoc eſt, in ſede collocati, non vagantes huc & illuc, non fluctuantes: fundamentum autem hoc fides eſt, ſuper quā tanquam fundamentū oportet cor noſtrum ædificari, non autem fidem oportet ſuper cor noſtrum exſtrui, et hærere quaſi in ſuperficie cordis. Nam cor humanum

humanum fundamentum eſt fallax et mobile. Rurſus ſedes ſiue cathedra, in qua nos firmos ſedere oportet, eſt eadem fides. Nam oportet cor noſtrum inſideat fidei, in eaque conquieſcat: non autem fides inſideat cordi noſtro: Nam cor humanum ſedes eſt ſiue ſella minimè fixa ac firma. Nota igitur: Vt perſeueremus in fide, oportere nos fundamento aliquo niti & ſedere quaſi immotos: Nam domus quæ non eſt fundata ſuper petram, ſed ſuper arenam, ſtare non poteſt exoriente procella: fundata verò ſuper petram, ſtat exoriente procella et flante vento. Matth. 7. 24. 25. 26. Et qui non ſedet in certa ſede, vagatur: qui autem ſedet, quieſcit. Quare qui vult perſeuerare et perſiſtere, quærat ſibi continuò fundamentū, quęrat cordi ſuo certā ac fixam ſedē

Nec dimoueamini à ſpe) Hæc eſt ſecunda perſeuerantiæ ſpecies, nempe, perſeuerantia in ſpe Euangelii, hoc eſt, in iis bonis, præſertim vita ęterna, quæ offeruntur et promittuntur in Evangelio: Nam Evangelium eſt quaſi ſpeculū quoddam teſte Paulo. 1. Cor. 13. 12. In hoc ſpeculo intuemur Chriſtum omniaque eius beneficia. Oculus per quem hæc intuemur eſt oculus fidei, quę ipſa etiam manus eſt, qua apprehendimus

et

et retinemus ſpeculum: Dum fides intuetur, ſimul et apprehendit ſpeculum, Spes expectat complementum eorum, quę fides intuetur quaſi eminus, et in ſpeculo apprehendit. Expectat autem dum ipſe Chriſtus veniat: veniente Chriſto evaneſcit ex oculis ſpeculum Evangelii, vt vmbra ſubingrediente corpore: Euaneſcente Evangelio ceſſat fides, ceſſat ſpes: pro Euãgelio eſt Chriſtꝰ preſens, vita preſens: pro fide et ſpe eſt εἶδος, quod vocat Paulus, hoc eſt, aſpectus, et preſens fruitio. 2. Cor. 5.7. Nota igitur ſine ſpe non eſſe fidem, ſine Evangelio non eſſe fidem et ſpem: Nam ſine Evangelio quid eſt quod intueatur fides? quid eſt quod ſpes expectet? Quamobrem nunquã ſinamus ex oculis noſtris diſcedere Evangelium Chriſti, dum hîc viuimus, vt decedentes ex hac vita, et relinquentes Evangelium, non amplius fide, ſed aſpectu incedamꝰ, *Quod audiſtis*) Hoc per occupationẽ ſubiectũ eſt. Obiici enim ab iis potuit. Quod nam intelligis Evangeliũ, an hoc quod audiuimus ex Epaphra, homine non Apoſtolo. Reſpondet de hoc ipſo loquor Evangelio quod audiuiſtis ex Epaphra, et non de alio quoquam. Tum hoc Evangelium ipſis commendat duobus argumentis. Primum eſt

ab

ab eo quod idem ſit cum eo quod prædicatum erat omni creaturę ſub cælo, hoc eſt, omni homini, quocunque in loco, quacunq; in Gente, non in Judęa tantùm, ſed etiã apud Gentes, et quidem apud gentes longè latéque: nam hactenus ętate Pauli magnũ fecit in mundo progreſſum Chriſti Evangelium. Alterum argumentum eſt ex eo quòd ſit idem Evangelium cum eo, cuius ipſe miniſter eſt factus: Significat ergo Evangelium ab Epaphra annunciatum habere approbationem, tum omnium in genere Apoſtolorum, & eorum quicunque initio prædicârunt Evangelium, tum ſuam in ſpecie. Nota hìc primùm in perſona Coloſſenſium, quàm facilè & quàm levi de cauſſa impingant homines in Evangelium Chriſti, quibus quidem, vel perſona ipſa eius qui prædicat Evangelium, miniſtrat occaſionem offenſionis? Quaſi verò fidem oporteat pendere non ex Evangelio ipſo prædicato, ſed ex perſonis hominum prędicantium. Quæ ob oculos ſunt aſpicitis, ait Paulus Corinthiis. 2. Cor. 10. 7. hoc eſt, illa externa quę ſeſe ſẽſibus ipſis offerunt in perſonis eorũ, qui miniſtrant Evangeliũ. Deinde nota in perſona Pauli, vt is occurrat huic offendiculo, & conciliet Epaphrę gratiã apud eos. Quoquidem exemplo ſuo docet

miniſtros Evangelii, vt ſibi invicem gratiam populi concilient, & vt qui donis priores ſunt commendent inferiores populo, ſi modò eandem doceant veritatem, & ſincerè doceant. Hoc faciendum Evangelii cauſa, vt remotis omnibus offendiculis pergat curſu inoffenſo ad ſalutem quam plurimorum. Tertiò obſerva notas quaſdam veritatis Evangelii: Prima eſt, ſi Evangelium de quo quæritur habeat conſenſum totius veteris Eccleſiæ: Veterem Eccleſiam intelligo primitivam illam, quæ fuit Apoſtolorum temporibus, cui ipſi Apoſtoli miniſtrabant Evangelium. Conſenſus veteris Eccleſiæ intelligitur ex ſcripturis Apoſtolicis, non autem ex traditionibus non ſcriptis: Nam Apoſtoli & idem & vnum quo ad rem ipſam ſcripſerunt quod ante docuerunt, & viva voce tradiderunt. Quod ſi Evangelium noſtrum quod nos prædicamus hodierno die, ætate Apoſtolorum prædicatum ſit toti mundo, & habeat illius primitivæ Eccleſiæ conſenſum, nihil moramur iſtorum voces, qui ex hoc loco videntur ſibi nacti validum aliquod adverſus noſtrum Evangelium argumentum, colliguntque ex eo quod noſtrum Evangelium non habeat con-

conſenſum vniverſalis Eccleſię, & non ſit idem cum eo quod publicatum eſt et prædicatum in toto mundo, ideò non eſſe verum Evangelium. Huic reſpondemus, Evangelium noſtrum habere conſenſum, non novę huius & Antichriſtianę Eccleſię, ſed illius veteris & primitiuę: Teſtem autem appellamus ſcripturam illam Apoſtolicam. Deinde altera nota eſt: Conſenſus etiam particularis alicuius viri pii & docti valet ad confirmandam Evangelii prædicati veritatem, præſertim autem Prophetę alicuius & Apoſtoli, qui in veritatis doctrina tradenda errare non potuit. Vt autem valeat conſenſus particularis alicuius viri videndum an ipſe doceat idem Evangelium, quod toti Eccleſię prędicatum ſit: Nam Paulus teſtimonium & conſenſum ſuum non alia conditione recipiendum innuit, quum dicit, Cuius Evangelii (nempe, Evangelii prædicati omni creaturæ) factus ſum miniſter. Secus, ſiue Paulus, ſiue Angelus, tradat aliud Evangelium, quàm quod prædicatum eſt initio toti mundo, anathema eſto. Galat. 1.8.

Qui

24 *Qui nunc gaudeo de iis quæ patior pro vobis, & reliquias afflictionum Christi vicissim expleo in carne mea, pro corpore ipsius, id est, Ecclesia.*

25 *Cuius Ecclesiæ factus sum minister, ex dispensatione Dei quæ data est mihi erga vos, ad implendum Dei sermonem.*

QVi nunc gaudeo de iis) Hoc loco digreditur in sermonem de persona sua, ac primùm occurrit scandalo, quod accipi potuit ex Pauli afflictionibus, quas tum temporis Romæ vinctus sustinebat. Quaquidem re innuit, quàm facilè offendamur afflictionibus etiam Apostolorum ipsorum, quos tamen videt mundus extraordinariis donis excellere. Offendit Colossenses persona Epaphræ, non quidem afflicti, sed non Apostoli: nunc videtur offendisse eos persona Apostoli quidem, sed afflicti. Argumentum quo removet Apostolus hanc offensionem, est à causa afflictionum suarum. *Pro vobis*, inquit) quasi dicat, Affligor causa gentium, ex quibus estis vos: Apostolus enim sum gentium: nisi enim prædicassem Evangelium Gentibus ad ipsarum salutem non fuissem afflictus. Ministri

stri Evangelii hodierno die possent quidem immunes esse ab afflictionibus, contemptu, contumeliis ignominia, probro, paupertate, quibus expositos eos cernimus, si tam securi essent, etiam salutis istorum hominum, qui eos his modis aliisque exercēt, quàm ipsi securi sunt salutis suę: Sed admirabilis est hæc hominum malitia, quæ est non tam adversus Evangelii ministerium, quàm adversus seipsos, qui neque sibiipsis, neque aliis salutem suam curæ esse volunt, sed alios quibus est curæ ipsi persequuntur & affligunt. Admirabilis etiam est eorum stupor, qui, neq; miseriam suam sine Evangelio sentientes, neque fœlicitatem suam cum Evangelio, quum vident afflictos Evangelii ministros afflictiones eorum securè intuentur, ac si nihil ad ipsos pertinerent, et non ipsorū causa accidèrent: vel, si moveantur iis quas vident afflictionibus, moventur pudore, pudefiunt, & impingunt in Evangelium. Remedium vniversi huius mali est, si tandem aliquando senserint homines, quàm miseri sint sine gratia Evangelii, sine ministris Evangelii, & rursus quàm beati cum eis. Hoc autē afflictiones illas suas iis magis cōmendat, quòd non modò dicit se

affligi

affligi pro iis, sed gaudere se dum affligitur pro iis: eo enim significat summam suam erga ipsos voluntatem. Nisi enim summè quis diligeret eum pro quo affligitur, profectò nunquam pro eo lubens affligeretur. Observo autem ex adiuncto hoc gaudio; Non satis esse ad martyrium vt quis bona de causa, causa (inquam) vel Dei, vel Ecclesiæ, patiatur, nisi etiam in afflictionibus pro Deo, pro Ecclesia, patiens sit, gaudeat, & glorietur: Has conditiones Petrus. 1. Epistola cap. 4. 15. ad martyrium requirit. Primùm ait, Ne affligatur quis, vt homicida, vt fur, vt maleficus: hîc bonam causam commendat. Tum, quod si vt Christianus, ne pudefiat, inquit, sed glorificet Deum hac in parte; Hîc gaudium, gloriationem, & glorificationem Dei commendat, Caro & sanguis exhorrescit quidem vel ad recordationem afflictionum, sed quum ventum fuerit ad ipsam actionem, tum quidem si Dominus dederit constantiam, dabit quoq; patientiam, et gaudium, quo facilè absorbebitur omnis dolor tormentorum. Quare spe illius patientiæ & gaudii extraordinarii, potentia Dei corroboremur & armemur adversus errorem afflictionũ omnium. *Et reliquias*)

Hîc

Hic tertium habemus argumentum quo remouet offensam afflictionum. Expleo vicissim reliquias afflictionum Christi in carne mea, quasi dicat, afflictiones meę Christi ipsius sunt afflictiones: Nam hęc videtur esse vis argumenti. Ergo non est quòd iis offendamini, nisi pariter crux Christi vobis sit scandalo. Nota igitur: Afflictiones membrorum sunt afflictiones capitis, & ita reputat ipsum caput Christus. Saul, Saul, quid me persequeris. Act. 9. 4. nam sic constitutum est à Deo, vt Christus non tantùm affligeretur in se, & in carne sua, sed etiam in corpore suo, adeóque in singulis corporis membris, ne vno quidem excepto, quibus Deus in æterno illo consilio suo, singulis afflictionum mensuram est modificatus. *Expleo in carne mea*) Non nudè dixit afflictiones suas esse Christi capitis, sed complementum vocat afflictionum eius, *Expleo*, inquit, *&c.* Vt enim Ecclesia est complementum ipsius Christi, eumque quodammodò perfectum reddit hominem ex capite nimirùm & corpore constantẽ. Eph. 1. 23. sic quoq; afflictiones Ecclesię & membrorum ipsius, sunt complementum afflictionum Christi. Sic etiam gloria Ecclesię & membrorum est complementum glorię capitis. In quo

videmus dilectionem erga nos capitis nostri Christi, qui licet ipse in se perfectus sit & impleat omnia in omnibus, vt dicit Apost. Eph. 1. 23. Tamen se perfectum esse non existimat, nisi coniunctum habeat corpus suum, Ecclesiam: afflictiones suas non esse perfectas, nisi coniunctas habeat afflictiones Ecclesię; gloriam suam non esse perfectam & completam, nisi coniunctã habeat gloriam Ecclesię & membrorum. Hæc charitas est Christi capitis admirabilis. Nos autem eam quanti faciamus nunc videamus. Beneficii loco reputamus quod socii fiamus Christi, quod etiam veniamus in societatem gloriæ ipsius: sed caro & sanguis non ducit beneficium esse, quod cum eo affligamur: Tamen illud verum est quod habet Paulus. Philip. 1. 29. Datum est vobis in Christi negotio, non solùm in eum credere, sed etiam pro eo affligi. Et ipse Paulus pro damno & stercoribus duxit omnia huius mundi privilegia, ad hoc vt cognosceret Christum, & vim resurrectionis eius, & communionem perpessionum eius dum conformis fieret ipsi9 morti. Phil. 3. 7. &c. Nota, his verbis tres partes fœlicitatis suę enumeravit, coniunctionẽ cum ipso Christo, participationẽ glorioſæ resurrectio-

ctionis ipsius, denique communionem perpessionis ipsius. *Vicissim expleo*) ἀντιπληρῶ, hoc est, per vices expleo: Non igitur simpliciter dicit se explere sed per vices explere. Nam afflictiones succedunt per vices. Christus ipse prima vice afflictus est, tum Apostoli eius secunda vice afflicti sunt tum alii tertia vice, & sic deinceps: Neque enim illę quas diximus Christi afflictiones simul ac semel perficiuntur omnes: neque omnia membra simul ac eodem tempore affliguntur, sed vicissim & per vices suas quodque, sic vt afflictiones protrahantur necesse sit ad reditū vsq; Christi. *Reliquias*) Non nudè vocat afflictiones, sed reliquias, ὑστερήματα appellat afflictionū. Vbi autem sunt ὑστερήματα posteriores partes afflictionum, ibi fuerunt πρότερήματα priores partes: vbi reliquiæ afflictionum, ibi præcessit afflictionum quasi cumulus. Christus ipse in carne sua sustinuit cumulum afflictionum, nos verò tantum reliquias: Et vnda quasi illa afflictionū in caput ipsū allisa est, sic vt iam fracta, dispersa, ac debilitata defluat à capite, quod totam eius vim sustinuit, in corpus et corporis mēbra: Nō enim sunt cōparādę afflictiones quas perpetitur

cor-

corpus cum afflictionibus iis quas perpessum est ipsum caput. *Pro corpore Ecclesiæ*) Hęc causa fuit afflictionum ipsius capitis, hęc causa afflictionum membrorum, sed longè alia atque alia ratione: Nam Christus ipse afflictus est in carne suâ pro redemptione corporis sui, affligitur verò in membris suis pro administratione illius Redemptionis: vt non sit quod abutantur hoc loco Pontificii ad stabiliendas indulgentias suas, hoc est, remissiones, vt sic dicam, peccatorum per martyrum merita, quorum thesaurum se habere fingunt apud se repositum. Sed omissis his nugis ad rem transeamus. Videmus hîc nihil ad Ecclesiam pervenire sine sanguine & afflictionibus. Sanguine ipsius Domini remissio peccatorum redimitur, sanguine ministrorum remissio peccatorum administratur: vsque adeò sese opponit Diabolus Ecclesiæ saluti. Oportet autē Deo eam charissimam esse, & in eius oculis pretiosissimā, cuius gratia tantùm sanguinis, primò & postremò effusum est, nec non quotidie effunditur. *Cuius Ecclesiæ factus*) Hactenus removit offensam crucis, nunc authoritatem sibi conciliat, primò ex officio suo, quòd sit factus Ecclesiæ minister: hoc quoque in se causam aliquam continet, cur

pro

pro corpore affligatur, quòd nimirum minister corporis & Ecclesiæ sit factus. Sed expendamus verba. Dicit se factum, non natum, sed factū ex non ministro, imò ex inidoneo imò, ex blasphemo, persecutore, iniurioso. 1. Tim. 1. 13. Factū, inquā, ministrū Ministrū: dicit, non dominū: Non enim est Dominꝰ Ecclesiæ, nisi vnus Iesus Christꝰ servator noster. Hæc causa subiecta afflictionis suæ pro Ecclesia satis arguit eum non passū pro redemptione Ecclesię, sed pro ministerio & administratione redemptionis partę per sanguinem Christi solius. Nam solus Domini Ecclesię passus est pro redemptione Ecclesię suę, & solus Domini sanguis ille pretiosus, non autem servi & ministri sanguis valet ad redemptionem faciendam. Rursus, hęc ipsa causa subiecta arguit ministrum quemcunq; Ecclesię obligatum, hoc ipso quod minister sit, ad afflictiones & mortem ipsam tolerandam Ecclesiæ quasi dominæ suę gratia. Dicam ampliùs, vel simplex ista vocatio Christiana obligat omnes ad afflictiones perferendas. Vocati estis ad hoc, quoniam & Christꝰ pro vobis passus est. 1. Pet. 2. 21. Quod si vel simplex ista vocatio Christiana obliget ad afflictio-

nes, quantò magis vocatio ad ministerium. Quò enim maior est honor cuiusque in Ecclesia Dei, eò maior obligatio est ad ferendum afflictiones. Quanquam quid est pro honore censendum si non afflictio, quam perpetitur quis Christi & Evangelii ipsius caussa? *Ex dispensatione Dei*) Ministerii Pauli sequitur descriptio quædam, qua ipsum iis commendat. In his verbis primùm habemus ministerii ipsius speciem, est enim οἰκονομία, dispensatio. Omnis οἰκονομία est in aliqua familia. Ergo oportet esse aliquam familiam in qua sit Paulus œconomus; familia autem est Dei, cuius Dominus est Filius; Quare, cum tam digna sit familia, oportet œconomiam hanc in tanta familia magnæ esse dignitatis. Tum habemus huius œconomiæ authorem, nempe Deum ipsum, qui dominus est familiæ, & ad quem solùm pertinet vel immediate, vel mediate, constituere ministros & dispensatores in familia sua. Ergo author tantus huius œconomiæ eam commendat. *Quæ data est mihi*) In his verbis habemus modum quo factus sit œconomus à Deo, non ex merito, & dignitate vlla quæ in ipso fuerit, sed ex mera gratia & Dei dono: sic Ephes. cap. 3. vers. 2. Si quidem audistis dispen-

pensationem gratię Dei, quæ data est mihi apud vos. & ibidē postea ver.7.dicit factum se ministrum ex dono gratię Dei. *Erga vos*) In his verbis habes quibus & in quorum gratiā sit data hæc οἰκονομία, nempe in gratiam Colossensium, qui ex gentibus erant: Ipse autem fuit Apost. gentium 2.Tim.1.11.Omnia igitur accepit à Deo, omnia fecit, omnia perpessus est causa gētium; Nota, non sibi tantùm accepit illud donum œconomiæ, sed aliis, non vt ipsū apud se reconditum servaret, sed vt aliis liberaliter illud impartiretur. Atq; hæc vera ratio est servandi donū gratiæ Dei, si ipsū cum aliis communicetur. Paulus 2. Timoth.cap.1.14. primùm dicit Timotheo, Præclarum depositum serva. Deinde ibidē 2.cap.2. dicit, Quę audivisti à me inter multos testes committe fidelibus hominibus, qui ad alios quoq; docendos sint idonei: Ecce servare depositum, est illud ipsū aliis committere. *Adimplendū*) Sermo Dei est cibus quasi qui dispensatur in hac Dei familia. Nō enim ex solo pane vivit homo, sed ex omni verbo quod procedit ex ore Dei. Mat.4.4. finis autē dispēsationis est impletio illius sermonis. Dum enim dispensatur ille sermo, non tantùm implentur eo

domestici, sed etiam ipse sermo impletur, augescitq; Quantò enim magis impẽditur in alendis hominib⁹, tantò magis augetur: Non enim similis est ille cibus cælestis terreno huic cibo, qui quò magis impẽditur, eo minor fit & in nihilũ tandem redigitur. Hactenus fuit descriptio quædam ministerii ipsius.

26 Nempe *mysterium absconditum à seculis & ætatibus, nunc autem* illud *patefactum est sanctis eius,*

27 *Quibus voluit Deus notum facere quæ sint divitiæ gloriosi huius mysterij inter Gentes, id est Christus inter vos,* qui *est spes illa gloriæ:*

NEmpe *mysterium illud*) Egreditur in descriptionem quandam sermonis Dei, cuius proximè meminit, idq; ad commendationẽ ministerii sui: sermonẽ Dei mysteriũ vocat: mysterii nomine intelligitur res abscondita, nominatim verò religiosa: sic eo nomine intelligitur mysteriũ illud pietatis, quod vocat Apostolus. 1. Timoth. 3. 16. hoc est, verę religionis: & sapientia in mysterio latens occulta illa quam præfinierat Deus in gloriam nostram. 1. Cor. 2. 7. Nota hoc loco, sermo hic Evangelii adeò mysticus est in se vt de eo nemo ne cogitare quidem potuerit, antequam est revelatus.

Ideò

Ideò Paulus vocat ſapientiam, quam nemo principum huius ſeculi cognovit. 1. Cor. 2. 8. Et paulò poſt, Prædicamus (inquit) quæ oculus non vidit, neque auris audivit, neque venerunt in mentem hominis quæ Deus pręparavit iis qui ipſum diligũt. 1. Cor. 2. 9. Quamobrem quum non ſit ſalus niſi per hunc ſermonem, infinitę Deo agendæ ſunt gratię, propter eius revelationem. *Quod abſconditum fuit.* Cum myſterium ſit quiddam abſconditum, his verbis docet quamdiu fuerit abſconditum: Primùm dicit abſconditum fuiſſe à ſeculis ἀπὸ τῶν αἰώνων, quibus verbis ſignificat abſconditum fuiſſe in Deo ab ęterno. vide Eph. 3. 9. Deinde dicit à generationibus fuiſſe abſconditum, hoc eſt, poſt conditum mundum per omnes hominum ætates & generationes, Quod aliis ætatibus non innotuit filiis hominum. Eph. 3. 5. Nota igitur ſermonem hunc Evangelii, quem prædicamus rem eſſe antiquiſsimam, non tantùm fuiſſe eum inde à mundo condito, ſed ab æterno. Quare ſi antiquitas cõmendet aliquid, profectò ſermo hic commendationem imprimis merebitur. Hoc ad Scripturam meritò accommodatur, quum ſcripturæ prophetica & Apoſtolica hoc myſterium & hunc ſer-

sermonem in se contineat, vt non sit quod aduersarii iactent Ecclesiam scriptura sacra antiquiorem. Deinde nota, mundum hunc longo tempore in tenebris sine luce vixisse, destitutum nimirùm huius mysterii reuelatione: Nam quod ad gentes illæ quidem tanto tempore nihil lucis habuerunt: Quod verò ad Iudæos, habuerunt quidem sermonem propheticum velut lucernam in obscuro loco splendentem vsq; dum dies illucesceret. 2. Pet. 1. 19. Ergo solem non viderunt, sed lucem duntaxat quasi candelę vel lucernę. Ex quo sequitur toto illo tempore mundum periisse exceptis paucissimis: Nam vbi non est lux illa cælestis, ibi non est vita: atque hoc est quod innuit Paulus Rom. 5. 21. dum dicit ab Adamo ad Christū peccatū regnasse ad mortem. *Nunc autem*) Hactenus docuit quanto tempore fuerit absconditum hoc mysterium, nunc docet quando demùm patefactum sit. *Nunc* (inquit) *patefactum* est, hoc est, postquàm venit plenum tempus, & missus est in mundum Dei Filius. Sed hoc *νυν* latiùs patet quàm ad tempus illud aduentus Christi, & totum tempus quo prædicatur Euangelium Christi complectitur: Estq; dies ille hodiernus

ernus cuius meminit Apost. Heb.3.13. Quoad appellatur hodiernus, ne quis ex vobis induretur fraude peccati, & 2. Cor.6 2.vocatur acceptum illud tempus & dies salutis. Nota igitur. Mundum non in tenebris, sed in luce vivere, splendente hoc sole iustitiæ, qui est Christus. Ex quo sequitur oportere multos servatos esse iam inde à prima illa Christi manifestatione :Nam vbi lux illa cælestis ibi vita. Quare Apost. Rom.5.21.cum de hoc tempore loquitur, ait gratiam regnare per iustitiam in vitã æternam. Quod si qui in tanta luce sunt tamen pereant, profectò ii bis pereunt, & eorũ duplex est cõdemnatio. *Sanctis eius.*) Hîc docet quibus demùm sit revelatum hoc mysteriũ, non quibuscunque, sed sanctis. Eph.3.5.postquàm sanctos nominavit subiecit continuò Apostolis & prophetis: Ergo sancti sunt primùm Apostoli & ministri huius mysterii, deinde sunt alii fideles: Nam & iis quoq; eorũ ministerio revelatum est hoc mysterium. Quamvis igitur omnibus promiscuè prędicetur hoc Evangelium, tamen non nisi sanctis propriè revelatur: hoc est, sanctificatis per Spiritum sãctũ, qui solus scrutatur profũditates Dei & aperit sanctorũ oculos ad eas videndas

vnde

de Apost. 1. Cor. 2. 20. ait Spiritū revelasse nobis hoc mysterium, & Eph. 3. 3. ait retectum esse sanctis Apostolis & Prophetis per Spiritum. Quare videndum vt simus sancti & habeamus Spiritum illum sanctum quicunque volumus intueri hoc mysterium.

Quibus voluit Deus notum) Immoratur in hac revelatione quæ facta est sanctis, hoc versu, ac eam explicat primùm ab authore suo, Deo scilicet: deinde à causa Deum impellente, ipsius εὐδοκία: Tertiò ab ipsa re revelata, quod est hoc ipsū mysteriū: Quartò ab iis inter quos revelatum sit hoc mysterium, nempe inter Gentes. Hæc omnia ideò exposita sunt, vt videamus quanta fuerit Dei gratia & misericordia in hac revelatione facienda; singula enim ex his quæ numeravimus ipsius gratiam commendant: Nam quod primùm dicit Deum iis revelasse, hoc Dei gratiam commendat, qui priùs revelavit mysterium quàm ipsi illud intueri potuerunt, aut etiam de eo cogitare: deinde quod dicit voluntate & εὐδοκία sua hoc eū fecisse, & hoc quoq; pertinet ad eius gratiā cōmendandā, qui sine merito eorū, imò verò contra meritum eorum, ex solo suo beneplacito revelavit iis hoc salutis mysterium: Nam & hæc voluntas siue εὐδοκία

Dei,

Dei fuit antequam essent omninò sancti, vtpote ab æterno : & ipsi sancti fuerunt non ante revelationem ipsis factam, sed post eam . Revelatio enim mysterii eos sanctificavit : Ergo nihil fuit in ipsis postquam iam cœpissent esse, quod hanc revelationem promereri potuit. *Quæ sunt divitiæ gloriosi)* Sequitur id quod revelatum est sanctis, nempe mysteriū hoc ipsum, de quo iam dictum: sed notandum quàm magnificis verbis ipsum efferat. Non tantùm mysterium vocat, sed gloriam mysterii, hoc est, mysterium glorioſum: neq; id tantùm, sed divitias gloriæ mysterii dicit, hoc est, divitem gloriam. Quare significat primùm mysterium esse glorioſum: deinde gloriam illam divitem. Ad Eph. 1. 18. eodem modo amplificat cælestem illam hęreditatem. Et quę sunt (inquit) opes gloriç hęreditatis ipsius in sanctis. Hoc loquutionis genere innuit omnia, quæ in Christo habemus beneficia, primùm quoad substantiam, vt sic dicam, suam bona & vtilia esse; deinde quoad qualitatem glorioſa: Tertiò quoad quātitatem infinita. Hac rei revelatę amplificatione commendat nobis magnopere Dei eam revelantis gratiam & gloriam. *Inter Gentes)* Hîc habemus de iis inter quos

facta

facta sit sanctis hęc revelatio, non sunt tantùm Iudæi, sed etiã Gentes. Nõ enim potuit tanta gloria & tam glorieſum myſterium concludi intra Iudæę fines: vt non poteſt Solis lux tota concludi intra privatos parietes: Quamobrem oportuit lucem huius myſterii iam revelati inter Gentes latè diffundi. Quantiſper lux illa latuit in myſterio, contenta fuit ſolius Iudęæ finibus: At poſtquàm erupit in Chriſti manifeſtatione, iam non potuit concludi, et coerceri tam anguſtis finibus. Sed hoc maximè cõmendat Dei miſericordiam & gratiam, quod cùm gentes peccatores eſſent, & luce hac indigniſsimæ, tamen dignatus eſt eas Deus hac luce ſua tanta. *Id eſt, Chriſti inter vos*) Hoc eſt (vt mihi videtur) quæ opes glorię huius myſterii ſunt Chriſtus: Nam opes illæ glorię quæ tanto tempore latuerunt in myſterio, & poſteà explicatæ & in lucem productę ſunt, nihil fuerunt aliud, quàm Ieſus Chriſtus. Sapientia enim illa eſt de eo: Ergo non immeritò opes illas glorioſi myſterii ad Chriſtum accommodat. Deinde addit *inter vos*) nempe Coloſſenſes: quibus verbis Chriſtum rurſus ad ipſos in ſpecie applicat, ad hoc vt maior eſſet ex eo conſolatio. Hoc enim non caruit conſolationis mate-

materia, quod dixit, inter gentes in genere: ſed dum Chriſtū ad ipſos coloſ. in ſpecie applicat miniſtrat cōſolationē multò maiorē. Nota igitur primùm totam illam cæleſtem gloriam ad Chriſtum applicandam, quoties de ea vel audimus, vel loquimur, vel cogitamus: Nam reverà tota cæleſtis gloria in eo eſt, in quo ipſa plenitudo Deitatis inhabitat corporaliter. Neque tū cum in cælis erimus gloriæ cęleſtis partē aliquā extra ipſum conſpiciemus. Deinde nota Chriſtum ad vnumquemque noſtrum applicandum, vt & nos quoque participes fiamus illius tantę glorię: Chriſtum enim habentes omnia habemus: ſine Chriſto autem nihil habemus.

Qui eſt ſpes) Poſtquàm mentionem fecit Chriſti, & opes illas de ipſo eſt interpretatus, procedit longiùs in commendationem Chriſti, eiuſque deſcriptionem quandam, vt intelligamus, quàm iuſtè ipſi totas illas divitias glorię myſterii illius accommodaverit. Ipſe enim eſt ſpes illa gloriæ. Spē glorię vocat, id eſt, gloriam quam ſperamus. Nota igitur, Chriſtum eſſe, & gloriam illam, quam nunc habemus, et gloriā quam ſumus tunc habituri. Non enim aliam nunc gloriam intuemur

in

in ſpeculo Evangelii, aliam autem videbimus tunc quum in cælis cum eo erimus: ſed vna eademque eſt gloria, & quę nunc eſt & quæ tunc erit, nempe vnicus Ieſus Chriſtus, cui ſit omnis gloria & honor. Amen.

28 *Quém que nos annuntiamus, admonentes quemuis, & quemuis erudientes omni ſapientia: vt quemuis ſiſtamus perfectum in Chriſto Ieſu.*

29 *Ad quod etiam emitor, decertans ſecundum efficacitatem ipſius agentem in me potenter.*

Quemque nos annunciamus) Redit ad ſe & ad inceptum illum ſermonem de perſona ſua ſuprà verſ. 24. atque ex Chriſto Evangelii ſui materia ſiue ſubiecto conciliat doctrinę ſuæ authoritatem: habet igitur Miniſter Evangelii ſibi concreditas illas opes glóriæ myſterii illius, qui eſt Chriſtus, vt eas opes mundo quaſi diſtribuat. Epheſ. 3. 8. Atque hinc eſt tota miniſterii gloria: hinc etiam cuiuſque ex populo gloria, etiam regis, quod particeps fiat tantarum opum, ſine quibus nulla vera ac ſolida gloria. *Admonentes quemvis*) An-

Annunciationē illam Christi, quam dixit, suis quasi partibus explicat, admonitione et eruditione, admonemus eos qui à recta via, siue doctrinę, siue morū, aberrāt: erudimus autem eos ipsos dū verā viā doctrinæ ac morum demonstramus. Ergo Evangelii Christi hæ sunt in vniversum partes, admonitio, & eruditio: & qui nescit, primùm eos qui peccant & à verò aberrant admonere, deinde veritatem eos docere, is nescit Christum annunciare, & illas opes glorię dispensare. Quique rursus non patitur se admoneri & erudiri, is nunquam fiet particeps verarum opum, hoc est, Christi. Deinde observa hinc, quis demùm sit verus admonitor, & eorum qui peccant doctor: Nempe is qui annunciat Christum: Christi enim verba sola sunt efficacia ad regenerationem & cordis reformationem, quum ea sola habeant comitem Spiritum illum sanctificationis. Verba quę ego loquor vobis spiritus sunt & vita sunt. Ioh. 6. 6. 3. *Quemuis*) Admonitionem suam, simulq; eruditionem, extendit ad omnem hominem sine exceptione. Ex quo discimus primùm quàm late pateat Evangelii Christi dominium, nempe, ad omnes & singulos, ne vno quidem

excepto, nemo enim est qui non debet obedientiam Evangelio: Secundò quam latè pateat ministerium Evangelii, nempe ad omnes & singulos citra exceptionem. Quàm enim latè patet dominium Evangelii, tam latè patet eiusdem ministerium: vt nemo sit qui se eximat ab hoc ministerio, quod cernitur in admonendo & in erudiendo, nisi velit ipsum Evangelium pariter reiicere. Tertiò discimus quàm latè pateat miseria & inopia, nempe, ad omnes homines & singulos sine exceptione: Omnes enim peccaverunt, ac deficiũtur gloria Dei. Rom. 3. 23. *Omni sapientia*) Doctrinam à se traditam sapientiam nominat; & sapientiam quidem omnem, hoc est, perfectam & omnibus numeris absolutam. Ex quo discimus primò quanta sit in Christo abscondita sapientia. In eo sunt omnes thesauri sapientię & cognitionis absconditi. Colos. 2. 3. Secundò quam divites thesauri sapientię sint positi in testaceis vasculis. 2. Co. 4. 7. hoc est, verbi ministris, qui hanc tantam, tamque perfectam, sapientiã dispensant: quam quidẽ eorum dispensationem qui contemnit, non fiet vnquam particeps illorum thesaurorum sapientiæ qui in Christo sunt. Tertiò discimus quan-

ta

ta sit eorum beatitudo, qui discipuli sunt in schola Christi: hi enim soli sunt, qui audiunt perfectam illam sapientiam, non autem ii qui in scholis philosophorum discipuli sedent. *Vt quemuis sistamus*) Hic finis est admonitionis & eruditionis cuiusque in omni sapientia, nimirùm vt sistat quemque coram Deo, maximè in illo die adventus Domini. Ergo omnes homines absentes erant à Domino: hoc enim necessariò præsupponitur: Deinde finis huius ministerii est, vt homines à domino absentes & abalienatos sistat coram Deo, in illo præsertim die, in quo demùm futurum est vt & videant fructum laborum suorum, se non frustrà laborasse; & recipiant mercedem suam, coronam illam gloriæ: Vnde Paulus. 1. Thes. 2. 19. Quæ est spes nostra, aut gaudium, aut corona de qua glorier? Annon & vos in conspectu Domini nostri Iesu Christi in eius adventu. *Quemuis*) Finem hunc extendit ad omnem hominem, quia nimirùm Evangelium à se prædicatum sine discrimine ad omnem pertinebat, siue Græcum, siue Barbarum, siue sapientem, siue insipientem, &c. Quod si enim nullum sit discrimen quod ad Evangelii prædicationem,

nullum futurum est discrimen quod ad finem hunc sistendi homines coram Deo in illo die. Audiant igitur omnes sine descrimine Evangelium, ipsumque recipiant in hac vita: Sic enim futurũ est vt diuites pariter & pauperes, summi pariter & infimi, sistantur glorioſi coram Deo. *Perfectum*) Qua conditione sistendi sunt à se omnes homines docet: nempe in summa perfectione cognitionis, sapientiæ, gloriæ: Hoc enim postulat sapientia illa, quam dixit, perfecta, vt omnes perfecti reddantur. Perfecta enim sapientia tandem necessariò perficit discipulos suos, etsi enim in hac vita ipsos non perficiat, tamen si progressus fiat continuus in hac vita, perfectio futura est in altera. *In Christo Iesu*) Ad hanc perfectionẽ, κοινωνίαν illam & coniunctionem cum Christo requirit: Nam sine hac coniunctione quæ est cum Christo, nulla perfectio est: In illa autem cum eo coniunctione etiam in hac vita quodammodò perficimur, illius, nempe, perfectione quę nobis in eum credentibus imputatur. In altera vita cum illo & in illa cum ipso κοινωνία duplex futura est nostra perfectio: Primò in nobis ipsi erimus perfecti, sine ruga, sine macula, glorioſi. Eph.

5

5.27. Secundò in illo erimus perfecti, hoc est, in illius perfectione, iustitia, sanctitate, gloria, sine qua ne in altera quidem vita consistere poterimus coram Deo.

Ad quod etiam enitor) Amplificatio finis proximi à studio & labore suo in eo assequendo. Hunc suum laborem alibi testatus est Paulus. Ampliùs quam illi omnes laboraui, inquit. 1. Corinth. cap. 15. versu 10. Ergo qui vult assequi hunc finem ministerii, qui est in sistendo omnem hominem perfectum in Christo, necesse est non seguiter & negligenter agat, sed laboret: Qui autem non laborat non assequetur finem. *Decertans*) Cum labore coniungit certamen, de quo certamine ad Timotheum. 2. Epist. 4. 7. Præclarum illud certamen decertavi. Docemur autem exemplo Pauli non tantùm laborandum esse ei qui velit assequi ministerium, sed etiam decertandum & pugnandum cum Satana, mundo, carne. Salus enim humana multos habet adversarios, quibuscum omnibus ministro est concertandum, si modò velit quenquam servare. Ex vtroque hoc & studio & certamine videmus difficultatem illam summam, quę est perveniendi ad vitam illam æternã, ac proinde vitã illam

illã pretioſiſsimã eſſe & glorioſiſsimã colligim⁹. Quò enim difficilius quidq; obtinetur, eò id præclarius eſt. *Secundum efficaciam ipſius*) Hic fructus eſt & effectus laboris ſimul & certaminis, de quibus dixit, nempe efficacitas in iis pro quibus laborauit & certavit: quo docemur labores & certamina fidelium paſtorum non omninò caritura ſuo aliquo fructu & effectu, ſaltem in aliquibus. Fieri enim non poteſt, vt fruſtrà Deus det Paſtori fidelitatem, diligentiam, & cætera dona, quæ in ipſo requiruntur. *Ipſius agentem in me*) Hanc efficacitatem, & effectũ hunc laborum ac certaminum ſuorũm aſcribit ei qui operatur potenter, hoc eſt, Deo, cuius ſolius eſt hæc potentia qua quis convertitur & ſervatur. Nam ſolus Deus eſt qui excitat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt tanquam ſint: hoc eſt, qui vocat homines è tenebris in lucem ſuam admirabilem, 1. Pet. 2. 9. Notandum hoc loco, quòd vbi quis videt fructum aliquem laborum ſuorum atque etiam certaminum, eius gloriam in ſolidum Deo tribuere debeat. Sed annon ſibi aliquid tribuet? dicat cum Paulo, Deum per ipſum, tanquam miniſtrum & inſtrumentum operis ſui, hoc vel illud feciſſe: In

me

me(inquit)vel per me operatur. Ideoque Paulus posteaquàm dedit Deo gloriam omnem eorũ quæ per ipsum facta erant, Paulꝰ, inquiens, plantavit, Apollos rigauit; sed Deus est qui dat incrementũ. 1. Cor. 3.6. posthęc subiecit. 1. Cor. 4. 1. Sic de nobis reputet homo, vt de ministris christi et de dispensatoribus mysteriorũ Dei. Ergo ministro Dei suus quidã honor est debitꝰ, quẽ ipse sibi ex Dei voluntate potest vendicare, sine vllo pręiudicio glorię illius quæ solius Dei propria est, hoc est, gloriꝫ eius, qui operatur principaliter & pǒtenter. Cui sit omnis honor et gloria in sęcula sęculorum. Amen.

ARGVMENTVM CAP. 2.

Hoc capite primùm persistit in sermone de persona sua, in quem digressus est cap. 1. vers. 24. eumque continuat ad versum vsque quartum. Deinde vers. 4. incheatur admonitio vt caueant sibi à falsis doctoribus, ad vers. 6. Tertiò reuertitur ad adhortationem ad perseuerandum in fide, ad versum 8. Quarto redit ad admonitionem versu 4. incheatam, in qua persistit ad ver. 16 quo loco eandem admonitionẽ specialiùs infert, & in ea summatur ad finem capitis.

Cap. 2.

1 *Velim enim vos scire quantum certamen sustineam pro vobis & iis qui sunt Laodiceæ, & quotquot non viderunt faciem meam in carne:*

2 *Vt consolationem accipiant eorum corda, ipsis charitate compactis, & omni opulentia certò persuasæ intelligentiæ, ad cognitionem mysterij Dei & Patris, & Christi:*

3 *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac cognitionis absconditi.*

Velim enim vos scire) Continuat adhuc sermonem de persona sua, qui totus eò tendit, vt concilietur authoritas doctrinæ & exhortationi suę. Hic autem occupat obiectionem Colossensium. Dixit Paulus vltimo versu cap. 1. se decertasse secundum efficaciam, &c. Excipere potuerunt Colossenses; dicis quidem te decertasse: at non pro nobis, quos nondum inviseris? Respondet Paulus, velim vos scire quantum certamen sustineam pro vobis: neque id tantùm, sed etiam pro iis qui Laodiceę sunt (quæ vrbs fuit in Phrygia, quemadmodum fuit Colossus) neque id tantùm, sed etiam pro iis ex gentibus, qui nunquam viderunt faciem meam in car-

ne,

ne. Primùm hic ex persona Colossensium aliquid notandum occurrit. Existimant homines vulgò inter ignotos non esse dilectionem & mutuam sui curam, et ita quidem fit, nam vulgò inter ignotos non est dilectio mutua. At ex responso Pauli vicissim discimus servos Dei, & membra illius corporis sibi vicissim curę esse, etiamsi locorum intervallo sint disita, seseque vicissim de facie non noscant: Nam alius quidam est iis aspectus, quàm iste carnis: & ad se invicem animos suos quasi transmittunt Vobis, inquit, & meo spiritu in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis. 1. Cor. 5. 4. et posteà eodem isto capite vers. 5. Etsi corpore absum spiritu tamen sum vobiscum. Deinde nota expedire vt certiores fiamus de dilectione eorum etiam quos nunquam præsentes aspeximus, et de cura, solicitudine ac certamine, quod nostra causa in se suscipiunt: Hoc enim ad consolationem nostri facit non mediocriter: Hinc est quod acta Apostolorum & libri martyrũ ad posteros & nos etiam qui hodierno die vivimus sint transmissi, nimirũ, vt ex iis discamus quanta sint passi Apostoli & martyres omnium ætatum, etiam nostra causa, nam

pro-

proculdubiò voluntate Dei passi sunt etiam pro posteris, & pro Ecclesia Christi, non tantùm præsente, sed etiam futura imposterùm ad reditum vsque Christi. Discimus prætereà adeò interesse vt hanc curam & solicitudinē aliorum pro nobis rescisamus, vt etiam eos quibus curæ sumus, qui nos diligunt, & qui pro nobis certant, oporteat, exemplo Pauli hoc loco, hanc ipsam curam, dilectionem, certamen suum apud nos prædicare, modò id fiat ad gloriam Dei & consolationem nostram.

Vt consolationem accipiant.) Hic finis est propositi versu superiori certaminis: nempe, vt corda ipsorum consolationem accipiant, hoc est, verè ac solidè tranquillentur. Ex hoc loco video primùm, naturā omnes homines consolatione destitutos esse: Nam in natura nulla est consolationis materia, & ψυχικῳ ac animali duntaxat homini nihil est in mundo hoc, quantumvis alioqui efficax sua natura ad cōsolationem animorū, quod veram consolationem afferre potest. Nam cum Deus deiicit, quid est quod potest nos erigere. Deinde vide hunc Ministerii evangelici finem esse, vt homines, per naturam vera ac solida consolatione destituti, consola-

solationē accipiant, atque ita beati fiant: Nam in consolatione animorum est nostra beatitas: vnde 1. Ioh. 1. 4. Hæc scribimus vobis vt gaudium vestrum sit plenum. Sciendum enim dispensationem consolationis sic ministris Evangelii concreditā esse, vt qui non receperit è manu eorum consolationem istam, is veram consolationem nunquam sit reperturus. *Ipsis charitate compactis*) Hic modus est consolationis ministrandę & accipiendę, nempe compactio & coniunctio in vnum corpus. Nam extra κοινωνίαν corporis Christi nulla consolatio: Quamobrem qui consolatur coniungat pariter necesse est, & vniat in corpore Christi eos quos consolatur: Atque hunc primum oportet esse conatum ministri Evangelii vt vniat & coniungat homines inter sese in illo corpore. Quod vidimus & audivimus id annunciamus vobis, vt & vos communionem habeatis nobiscum &c. 1. Ioh. 1. 3.

Charitate) Sequuntur duo coniunctionis modi, prior hîc nominatur charitas, posterior verbis sequentibus cōtinetur, est autem fides, quæ natura charitatē præcedit, etsi

etsi hic posteriùs nominatur. Modus ergo & vinculum huius coniunctionis est charitas, citra quam nulla est κενοφωνία. Quare qui vult coniungere membra in corpore Christi, is charitatem doceat ac inculcet necesse est: vnde ministri Evangelii, qui laborant in coniungendo, ii pariter charitatem docent ac prȩcipiunt, vt in epistolis Apostolicis manifestò conspicimus. *Et enim opulentia*) Hic secundus est modus coniunctionis, fides, & ea quidem vna, quȩ charitatem natura prȩcedit: Nam fides est quasi nervus præcipuus, quo tum corpus cum capite Christo, tum etiam membra inter se aliquo pacto coniunguntur. Charitas verò propago quædam ex fide enascens, & corporis membra inter se connectens. Observamus igitur coniunctionis, quam diximus, prȩcipuum modum ac causam esse, vnam omniũ fidem, sine qua non est vnio in Christi corpore: Ideò Paulus Eph. 4. 4. 5. postquàm dixit vnum corpus, paulò post addidit vnam fidem. Neque est vllum vinculum tam firmum in natura quod homines inter se continere potest, nisi sit quoque vna eademque & communis fides in Deum, vna religio. Quamobrem qui conatur homines

in-

inter ſeſe coniungere, is vnius fidei doctrinam tradat neceſſe eſt. Sed verba quibus in textu fides eſt expreſſa diligentiùs ſunt ponderanda. Primùm itaque vt à poſtremo initium ſumamus, vocat fidem intelligentię nomine; fides enim res eſt, non cæca & ignara, verùm intelligẽs ac cernens: oculum enim habet limpidiſsimum vera fides: Deinde vocat eam πληροφοριαν, plenam perſuaſionem ſiue certitudinem: Fides enim non eſt rei & veritatis quã credimus intelligentia aliqua incerta, aut opinio, ſed eſt veritatis & rei firma plenaque perſuaſio, quam ſequitur apprehenſio cordis. Nam ſermo qui fidę eſt dignus eſt omnibus modis quem amplectamur. 1. Tim. 1. 15. πληροφοριαν dicit, non tenuem aliquam, aut exilem, ſed divitem ac opulentam: Et divitias dicit, non aliquas, ſed omnes. Vt ſciamus fidem rem eſſe divitem & opulentam. Superiori cap. ver. 27. Divitias dixit glorię myſterii: hoc verò loco opulentam dicit πληροφοριαν Vnde videmus Chriſtum, & omnia quę ipſius ſunt, opulenta eſſe, adeò vt qui vult verè dives eſſe is Chriſtum ſibi quærendum proponat, fine quo, vt demus poſſe impleri manum, at non implebitur cor cuiuſquam, neque

VR-

vnquam extinguetur sitis ista rerum terrenarum: Nam quò plus quis habet sine Christo eò plus sibi expetit. At vna cum Christo pauca ex terrenis his bonis sufficiunt. Pietas enim paruo est contenta. Quæstō magnus est pietas cum animo sua sorte contento. 1. Timoth. 6. 6. *Ad cognitionem mysterij*) Definitio quædam est intelligentiæ illius, quam dixit proximè: eam nunc vocat cognitionem mysterii, hoc est, Evangelii quod in mysterio fuit absconditum tanto tempore. Ergo hæc intelligentia habet relationem ad mysterium siue Evangelium, quod ipsius est obiectum. Cum igitur mysterium siue Evangelium sit tam dives, vt dictum est suprà cap. 1. 27 quis miretur fidem vel fidei intelligentiam tam divitem vocari? Obiectum enim, vel scientia, siue doctrina obiecta, quæ ipsa dives est, facit intelligentiam divitem: Contrà autem obiectum, vel doctrina obiecta, quæ ipsa inops est et ieiuna, facit intelligentiam inopem ac ieiunam. Reverà autē omnis scientia, siue doctrina obiecta, præter eam solā quæ de Deo est, inops est ac ieiuna, vt & omnis quoque intelligentia, preter eam solam quæ est illius scientiæ quę est de Deo, inops est & ieiuna.

Dei

Dei) Quæ ſequuntur ſunt de ſubiecto huius quod dixit myſterii, hoc eſt, Evangelii, ſubiectum primùm ſtatuit Deum: Deinde Deum ſiue Dei eſſentiam vnam duabus perſonis diſtinguit: poſtremò perſonã ſecundã Chriſtum Dei filium deſcribit ex illa, quę in ipſo eſt, plenitudine, quę omnia ad cõmendationem Evangelii pertinent. Dicit igitur myſteriũ eſſe Dei, hoc eſt, de Deo. Alię ſcientię & doctrinę pręter Evãgeliũ de rebus à Deo creatis ſunt omnes, de terra, de mari, de animalibus, de plantis, de cœlo, de aſtris, &c. At hęc ſcientia Evangelica eſt de Deo ipſo creatore. Quare ſubiectum doctrinæ Evangelicæ plurimum dignitatis & excellentię tribuit ipſi doctrinæ ſiue ſcientię.

Et Patris & Chriſti) Deum illum, cuius meminit proximè, diſtinguit in perſonas duas, Patrem, & Chriſtum Filium: Et hoc quoque ad commendationem huius myſterii, hoc eſt, Evangelii pertinet, quòd Evangelium ſit de duabus perſonis tam glorioſis, Patre, & Filio. Sed hîc notamus prætereà, Chriſtum eſſe Deum laudandũ in ſecula, Amen. Rom. 9. 5. Notamus etiã eam ſolam eſſe de Deo veram ac ſalutarẽ ſcientiam, quę cum perſonis diſtinctum ex-

explicat: At hæc sola est Euangelii. Ergo extra Evangelium non est vera ac salutaris scientia de Deo.

In quo sunt omnes) Aperit thesauros illos multiplices, qui in christo absconditi sunt: id quod etiam ad commendationem mysterii, siue Evangelii pertinet: Dicit igitur in Christo esse sapientiam ac cognitionem: Nos hęc duo non distinguimus subtiliùs, nisi quis velit sapientiam intelligere rerum in specie cælestium: Nam harum est sapientia in mysterio latens, id est, occulta illa quam prędefinierat Deus ante secula in gloriam nostrã. 1. Cor. 2. 7. Cognitionis verò nomine intelligere scientiam rerum in genere quarumcunque. Rom. 11. 33. Videntur ista distincta esse ab Apostolo, quum dicit, O profundas divitias, tum sapientiæ tum cognitionis Dei. Non dicit hîc simpliciter ac nudè in Christo esse sapientiam & cognitionem, sed thesauros dicit in eo esse sapientiæ & cognitionis: neque id tantùm, sed omnes thesauros, adeò vt velit nihil esse sapientiè extra eum: ac proinde qui quærat sapere extra Christum frustrà id quærat, quum nulla sit extra ipsum sapientia. Iam secunda vice habemus de illa, quę in Christo est, plenitudi-

dine: Nam ſuprà cap. 1. verſ. 19. dictum eſt. Quoniam in eo placuit Patri vt omnis plenitudo inhabitaret. Tertia vice habebimus hoc capite ſecundo, verſ. 9. de eadem illa, quæ in eo eſt, plenitudine, quod omnis plenitudo Deitatis in ipſo inhabitet corporaliter: adeò vt qui quærit extra Chriſtum ſapere, quærat extra Deum ſapere. Quorſum verò iſta prædicatio plenitudinis Chriſti ſpectet videbimus verſu ſequenti, nempe, vt in eo conquieſcentes, nihil extra ipſum quæramus. Nos tantùm nunc de hoc admonemus, quod glorioſum & diues pariter ſit myſterii Evangelici ſubiectũ, ac proinde quod intelligentia & plerophoria fidei, quę tantum ſubiectum reſpicit, dives ſit ac glorioſa. *Abſconditi*) In Chriſto dicit theſauros hos abſconditos eo modo quo poſteà capite tertio verſ. 3. dicit vitam noſtram abſconditam eſſe cum Chriſto in Deo, nempe, quia etſi theſauri hi in revelatione myſterii Chriſti, quod tamdiu abſconditum fuit, revelati ſint: tamen non futura eſt eorum plena revelatio ante manifeſtationem Chriſti glorioſam & perfectam in ſecundo illo ſuo adventu.

4 *Hoc autem dico, nequis vobis impouat probabilitate sermonis.*

5 *Etsi enim corpore absum, spiritu tamen sum vobiscum, gaudens ac cernens vestrum ordinem, & soliditatem vestræ in Christum fidei.*

Hoc autem dico) Hactenus de sua persona egit: nunc admonet vt caveant sibi à falsis doctoribus. Occasio autem sumpta est ex eo quod de Christo dixit proximè. In eo sunt omnes thesauri sapientiæ & cognitionis absconditi: Ergo ne sinite vos decipi πιθανολογιαις, id est, persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, vt loquitur. 1. Cor. 2.4. Nota ordinem quem hîc sequitur Apostolus: Postquam aperuit & explicavit thesauros illos omnes sapientiæ & cognitionis qui in Christo absconditi sunt, continuò hortatur ne decipi se patiantur humana & fallaci sapientia. Sic Heb. 13. 8.9. postquàm dixit, Iesus Christus heri, hodie, & idem in secula, continuò addidit, Variis et peregrinis doctrinis ne circumferamini. Quo ordine observato, docemur ita demùm locũ esse exhortationi & admonitioni ne homines sequantur falsam doctrinam, si priùs proponatur iis vera, & thesauri illi veræ sapientiæ, qui in Christo

sunt

sunt, iis explicentur ac evoluantur: Nisi enim meliora priùs viderint, quomodò à peioribus abstinere poterunt, quum necesse sit aliquã de Deo cognitionẽ, vel veram, vel falsam, imbibant Neq; tantùm primo quoq; tempore ministranda est vera sapientia, sed etiam posteà quam cœperunt veram sapientiam imbibere continuò aperiendi sunt illi qui in Christo sunt veræ sapientiæ thesauri, indesinenter prædicandum Evangelium: secus profectò prolabantur necesse est, & deficiant à vera doctrina, ac mendacia amplectantur, id quod nos hoc loco exemplo Coloss. discimus, qui licet cœpissent veram sapientiam per ministerium Epaphræ recipere, tamen periculũ erat ne seducerentur à falsis doctoribus, qui sapientiam humanam, & humanas traditiones cum Evangelio Christi admiscebant. Ideò Paulus vt perseverarent in vera doctrina recepta, pergit illos thesauros, qui in Christo sunt, veræ sapientię ac cognitionis aperire. Opus igitur est nobis perpetua & assidua Evangelii Christi prædicatione, ad hoc vt perseveremus in vera doctrina semel à nobis percepta. Sed expendamus diligentiùs verba: Hîc thesauris illis sapientiæ & cognitionis,

qui in Christo absconditi sunt, opponit πιθανολογιαν, hoc est, persuasoria humanę sapientię verba, & vno verbo, quam nos vocamus vulgò Sophisticam. Quare extra Christum nulla vera de Deo sapientia est, sed sola Sophistica. Quamobrem qui quærit extra Christum sapere, non inveniet nisi Sophisticã. πιθανολογιων & persuasoriorum humanæ sapientię verborum effectus, est deceptio, παραλογισμος, quo quis capitur fallaci conclusione. Quemadmodum enim verę, quę in Christo est, sapientię finis, est recta animi informatio (deducit enim Spiritus Christi in omnem veritatem cum nos docet:) Ita humanæ sapientiæ effectus est deceptio, & quotquot eam sequuntur, fallacibus conclusionibus tanquam laqueis irretientur. Quamobrem qui quærit extra Christum sapere, vt nihil extra Christum nisi meram Sophisticã inveniet, ita necessariò sophisticis & fallacibus conclusionibus implicabitur: quomodò implicatam miserè videmus hodierno die Papistarum Sophistica maiorem mundi huius partem: quę eo miserior ac miserabilior est, quod ipsis videantur ea vincula quibus detinentur, suavia esse ac iucunda: cum tamen his reserventur mise-

ri homines tanquam totidem feræ beſtię laqueis conſtrictę, ad futurum Iudicium, quod ipſos de improviſo opprimet. Vtinam tandem miſeri iſti reſipiſcant.

Etſi enim corpore abſum) Occupatio, Tu longè abes à nobis, quos nondum vidiſti. Vnde igitur iſta cura ignoti erga ignotos? Vnde iſte labor in iis adhortandis & admonendis? Reſpondet Apoſtolus, quòd quamvis corpore ſit abſens, tamen ſpiritu ſit præſens: Hoc eſt id de quo nonnihil diximus ſuprà, Sanctos habere mutuam ſui præſentiam, eam quam mundus ignorat, nempe, ſpiritualem, qualis eſt præſentia illa capitis Chriſti, & corporis Eccleſię. Spiritus enim ſanctus, & corpus cum capite per fidem, & membra inter ſe per charitatem & affectum animorum mutuum coniungit: Hinc eſt illa cura mutua & ſolicitudo ſanctorum: Hinc illę admonitiones et exhortationes, quas dirigimus ad eos, quos nunquam de facie cognovimus.

Gaudens) Hoc effectum eſt ſpiritualis illius præſentię, nempe ſerium gaudium, quod arguit præſentiam, non vanam & imaginariam, ſed efficacem. Tale enim gaudium non percipiunt filii huius ſeculi, ne ex corporali quidem præſentia eorum,

quos in vita maximè charos habent. Quemadmodum enim ſentitur gaudium, cum per Spiritũ coniungimur cum capite noſtro Chriſto, idq; ineffabile & glorioſum. 1. Pet. 1. 8. Quem cum non videritis diligitis, &c. Ita cum per eundem ſpiritũ coniungimur cum corpore Eccleſia, gaudium quoddam percipitur ineffabile: Id quod arguit tum demùm futurum gaudium multò maximum & pleniſsimum, cum non modò Spiritu, ſed etiam corpore coniungemur in cælis cum capite noſtro Ieſu Chriſto, & corpore ipſius Eccleſiâ. *Ac cernens*) Hîc habemus gaudii concepti ex Spirituali præſentia, materiam: Eſt autem materia, primò ordo, ſecundò fides. Ordinis nomine intelligo vitam benè rectèque ordinatam: ordinatur autem vita benè rectéque cum dirigitur ad normam doctrinę traditæ ac receptæ. 2. Theſſ. 3. 6. fidei nomine intelligo fontẽ & cauſã ordinis. Non enim vivunt ordinatè ſecundũ doctrinam traditam niſi ii qui credunt in Chriſtum. Non dicit fidem ſimpliciter, ſed ſoliditatem veſtræ in Chriſtum fidei. Ordo enim & vita ſancta non eſt niſi ex ſolida fide: Et qui intuetur ordinem, vitam ſanctam ac benè compoſitam, intuetur eius fon-

fontem, non quidem fidei profeſsionem quę fit in ore, ſed ſoliditatem fidei, quę eſt in corde. In his igitur duobus, ordine, et ſolida fide, fuit materia gaudii. Nota igitur, tum demùm eſſe gaudium ſanctorum, dum intuentur Eccleſiam aliquam, vel corpore, vel ſi non corpore, certè ſpiritu preſentes, dum vident illam pulchritudinem ſponſę Chriſti, quę partim externa eſt in ſancta ac benè compoſita vita, partim interna eſt in ſolida fide: In his enim eſt pulchritudo ſponſę Chriſti in hac vita. Contrà autem quoties eam intuentur et non vident ſimul hanc ipſius pulchritudinem externam & internam, toties materia eſt non gaudii, ſed doloris. Deformitas enim ſponſę Chriſti, ei qui amicus eſt ſponſi, non mediocrem movet dolorem.

6 *Sicut igitur accepiſtis Chriſtum Ieſum Dominum, ita in eo incedite:*

7 *Radicati & ſuperſtructi in eo, ac confirmati fide, ſicut edocti eſtis, abundantes ea cum gratiarum actione.*

Sicut igitur) Hic redit ad adhortationem quā aggreſſus eſt c. 1. 23. hanc autē infert ex proximis verbis in hūc modū, ac ſi dixiſſet, Vos

Vos benè cœpistis & quoad vitam ac conversationem vestram, & quoad fidem. Ergo pergite. Nota hîc primùm causam quę nos movere debeat ad benè perseverandum, nempe initium siue principium bonum. Satius enim fuisset, ait Petrus. 2. Epist. 2. 21. non cognovisse viam Iustitię, quam cognita illa regredi à sancta doctrina. Nota deinde, quonā modo sit perseverandum, nempè eo modo quo cœpimus, sic vt si iam in principio receperimꝰ Christum, per simplicem ac sinceram Evangelii doctrinam traditam, ita in eo perseveremus contenti simplici illa ac sincera Evangelii doctrina. Nam postquam recepimus eum per simplicem ac sinceram Evangelii doctrinam, si deinde non contenti illa simplicitate adiunxerimus Evangelio humanam sapientiam, humanas traditiones & commenta, tum profectò hoc non est perseverare in Christo, sed à Christo excidere: Vel enim sincerum sit Evangelium, vel prorsus nullum. Vel Christus discatur ex sincero Evangelio, vel non discatur omninò. Tertiò hîc observa quid sit fides primùm, deinde quid sit in fide perseverantia. Fides nihil aliud est, quàm receptio Christi, idque per

mi-

miniſterium puri ac ſinceri Evangelii. Perſeverantia in fide nihil aliud eſt, quàm progreſsio in eo facta per miniſteriū eiuſ dē Evangelii, reinpe ſinceri at puri. Verbo incedendi ſignificat perſeverantiam in Chriſto ita demùm eſſe, non quidem ſi in eodē ſtatu & gradu fidei ſemper perſtemꝰ ſed ſi perpetuum faciamus in fide progreſſum. Qui enim nullum facit progreſſum in fide, is neceſſe eſt tandem fidem penitus amittat. Heb. cap. 6. verſ. 1. & deinceps.

Radicati & ſuperſtructi in eo) Rationem in his verbis prę ſcribit qua incedant in Chriſto, & in eo perſeverent. Eſt autem ſi arctè cum eo fuerint coniuncti. Coniunctionem hanc cum Chriſto arctam declarat verbis tranſlatitiis. Primum verbum ſumptum eſt ab arboribus, quæ altiùs radices agunt in terra: Radicati (inquit) in eo. Secundum verbum ſumptum eſt ab ædificiis quę firmiter fundamentis ſuperſtruuntur. Significat enim niſi radices egerimus in Chriſto, & in eo fuerimus fundati, non poſſe nos in eo perſeverare. Nota igitur, Ad hoc vt ſit in Chriſto perſeverantia requiri arctiſsimam cum eo coniunctionem, quam vel ex arboribus & ædificiis nos aliquo

aliquo modo possumus discere. *Ac confirmati fide)* His verbis id ipsũ quod proximè dixit verbis impropriis ac metaphoricis, propriè effert ac planè, dum confirmationem in fide esse interpretatur illam radicationem, quam dixit, & fundationem. Confirmamur autem fide dum magis magisque animę nostræ, quę instabiles sunt natura, fide, tanquam anchora in Christo iacta, stabiliuntur. Fidei huius qua confirmentur, duas deinde ponit proprietates: Prior est his verbis. *Sicut edocti estis)* Hoc est, non alia fide, quàm ea quam accepistis ex doctrina Epaphrę Evangelica. Nota igitur: confirmandi sumus in fide, quæ ex simplici Evangelii doctrina, non admistis humanis traditionibus, percipitur: Quod si cœperimus primùm percipere fidem ex simplici Evangelio, deinde non contenti simplici Evangelio simul cum Evangelio humanas coniunxerimus traditiones, profectò inde fiet vt non solùm non confirmemur in fide semel percepta, sed etiam perceptam amittamus. Altera proprietas fidei est vt abũdans sit, *Abundantes ea,* inquit) Nam non confirmatur cor fide, nisi abundanti & copiosa. quare videndum vt perpetuis gradibus

augeſcat fides, tantiſper dum totum hoc vacuum & inane quod in corde eſt adimpleatur, quoad eius fieri poteſt: Nam reverà non implebitur & ſatiabitur cor noſtrũ prius, quàm coram aſpexerimus illam faciem in qua eſt gaudiorum ſatietas. *Cum gratiarum)* Cum fide augeſcente & abundante coniungit gratiarũ actionem: Nam vnuſquiſq; gradus fidei poſtulat vnãquãque gratiarum actionem: ſi quid enim aliud ſit ob quod gratias agere tenemur Deo noſtro, fides eſt imprimis: & certè gratiarum actio quęque coniuncta cum fidei incremento quocunq; manifeſtò arguit fidei incrementum: quod profectò non alia re diſcitur meliùs, quàm animi ad gratias agendas promptitudine.

8 *Videte ne quis ſit qui vos deprædetur per philoſophiam & inanem deceptionem, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum.*

9 *Nam in eo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter.*

10 *Et eſtis in eo completi, qui eſt caput omnis imperij ac poteſtatis.*

Videte nequis ſit) Poſt abſolutam doctrinam quam tradidit cap. 1. Apoſt. partim quidẽ ad hortatur ad perſeverantiã in fide, par-

partim verò admonet vt caveant ſibi à falſis doctoribus. Incepit adhortationem cap. 1. verſ. 23. hinc cap. 2. verſ. 4. auſpicatus eſt admonitionem. Poſteà verſ. 6. rediit ad exhortationem: hoc denique verſu redit ad admonitionem. *Videte* (inquit) *ne quis ſit qui vos deprædetur*) Verbū eſt ſumptum à prędonibus qui aggreſſi caulam oviū eas in prędam abigunt: Ita falſi doctores tanquā prędones ſunt qui invadunt caulam Domini, & oves domini deprędantur: ſed quomodò? *Per philoſophiam*, inquit, *& inanem deceptionem*) hoc eſt, non aperta vi, ſed fraude ac fallacia, á qua magis eſt nobis metuendum, quàm ab aperta vi: Nam apertam vim ſolam nulla vnquam ſequitur deprędatio, aut ſeparatio ovium à caula Domini, ſi abſit fraus & deceptio: Quicunque enim prędę ſunt falſis doctoribus, ii ſophiſtica eorum primùm omnium decipiuntur, ita vt volentes ſe patiantur abduci ad perniciem ſuam. Philoſophiæ nomine appellat eorum falſā ac mendacem doctrinam. Sed ipſe Philoſophiam illam continuò definit inanem deceptionem, hoc eſt, vanitatem quę decipit: Philoſophia igitur & ſapientia falſorum doctorum, nihil aliud eſt quàm vanitas

tas, cui nihil ſolidi ſubeſt. Humana ſapientia (fateor) ſi contineat ſe intra limites rerum humanarum, aliquid ſolidi habet: ſin excedat hos limites, & altiùs aſſurgat ad Deum, & res cęleſtes ac ſpirituales, & conetur regulas divini cultus tradere atque præſcribere, tum quidem evaneſcit. Quamobrem Paulus Rom. 1. 22. Sapientes dicit, vbi cœperunt ratiocinari de Deo evanuiſſe ac ſtultos factos eſſe. Effectum tamen deceptionis huic vanitati tanquam cauſæ tribuit, quia ſpeciem quandam & colorem ſapientiæ præ ſe fert: vt videas quàm levi aliqua & vana re decipiatur homo: vt rurſus videas quam vana res ſit cor hominis: Niſi enim ipſum eſſet natura vanum, nunquam profectò tam citò vana ſpecie caperetur: ſed cognatio hæc quæ eſt cordis humani cum mendacio & vanitate in cauſa eſt cur tam citò imbibat vanitatem & mendacium. *Secundum traditionem hominum*) Rurſus inanem illam, quam dixit, deceptionem, vel vanitatem, quæ decipit, definit, primùm per traditionem humanã in genere, deinde per elementa mundi in ſpecie. Duo enim videbimus hoc capite traditionum humanarum genera, primum, earum quę tantùm ab homi-

mine sunt, nunquam autem à Deo profectæ sunt: vt est cultus Angelorum, de quo posteà vers. 18. Cuius generis infinitæ sunt traditiones in Papismo hodierno die. Alterum est earum, quæ à Deo primùm fuerunt, deinde postquàm in adventu Christi abolitæ sunt, ab homine denuò proficiscuntur, cuiusmodi sunt quæ hîc dicit elementa mundi, hoc est, prima illa rudimenta veteris populi, quibus tanquam pędagogo deducebatur quasi manu ad Christum. Postquam autem Christus in carne est manifestatus abolita sunt, &, vt vmbræ, subingrediente iam ipso corpore, evanuerunt. Quod si igitur doctrina à Deo ipso semel tradita, posteà à Deo non agnoscatur pro sua, sed pro humana, nempè, postquam adventu Christi abolita est, quantò magis doctrina ea quę à Deo nunquam tradita est, à Deo non agnoscetur. Sed quod hîc observo, hoc est: Postquàm nominavit inanem deceptionem, tum subiecit interpretationis loco humanam traditionem: vt facilè videas doctrinam omnium vanissimam, esse humanam doctrinam in re religionis & divini cultus: Nam ne poetarum quidem fabulæ tam vanę sunt, quàm sunt hę, quas i-

sti

sti vocant, non scriptæ veritates, hoc est, traditiones Papisticę. *Et non secundum*) Hac definitione inanis deceptionis, vt includitur humana traditio, ita excluditur Christus, vt cui cum humana traditione nullo vnquam pacto possit convenire. Nam humana traditio admista Evangelio instar fermenti fermentat totam massam, & Christus in traditione, non est verus Christus, sed Idolum tantùm. Non enim patitur verus Christus humana vlla traditione se attingi: vt non sit quod Papistę glorientur, vel de Christo ipso, vel de Evangelio Christi: Neutrum enim reipsa habent.

Nam in eo inhabitat) Admonitionis argumentum vt suprà hoc cap. vers. 3. Est autem ab illa plenitudine, quę est in Christo. In Christo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter: Ergo nemo vos deprædetur per philosophiam & inanem deceptionem. Nota: Plenitudo illa quæ est in Christo, debet facere vt aversemur omnem istam inanem deceptionem: Nam ipsa oportet nos impleri, adeò vt nausea humanarum inventionum ducamur, quoties de iis, vel cogitamus, vel audimus:

Se-

Secq profectò illa plenitudo, quę in Christo offertur adeò copiosa augebit nostram damnationem. Sed expendamus verba paulò diligentiùs: dicit itaq; in eo esse non gratiam Dei tantùm, idque per participationem, vt in nobis: sed Deitatem ipsam: neque eam tantùm ex parte aliqua, sed Deitatis plenitudinem, hoc est, perfectā deitatem: quo autē perfectionem hanc & plenitudinem omnibus numeris suis absolutam esse eique nihil deesse significet, addit vniversi generis particulam, *Omnis*) inquiens, Plenitudinem istam omnem & summam perfectionem Deitatis, vel Deitatem perfectissimam, non dicit simpliciter in eo inesse, sed in eo inhabitare: quo verbo significat inseparabiliter in eo permanere. Modum inhabitationis postremò adiungit cum dicit, *Corporaliter*) hoc est, essentialiter, neque id tantùm, sed personaliter, & secundum personam τῦ λογȣ, sic vt λογος caro factus sit, &, vt sic dicam, corporatus evaserit, vnaque persona ex duabus naturis divina & humana extiterit. Hic primùm observa, vt Pauli oratio de Christo ipsiusque plenitudine incrementum capiat. Primo capite vers. 19. habuit hæc verba: In eo habitat

bitat omnis plenitudo; Secundo autem cap. vers. 3. In quo abscónditi sunt omnes thesauri sapientiæ & cognitionis. Huius autẽ capitis. versu hoc 9. dicit. In quo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter. Secundo loco pleniori locutus est oratione quàm primo: Tertio verò loco plus dixit quàm secundo: Adeò vt videatur mihi Apostolus, quo magis de Christo ipsiusque plenitudine loquitur, ipsius plenitudine magis magisque impleri: Nam ex abundantia cordis os loquitur. Mat. 12. 34. Hoc observo ideò, vt & nos non desistamus loqui de Christo & ipsius plenitudine, dõnec ea quoque impleamur: Nam loquendo de ea seriò ac sanctè, implemur ea. Deindè observo in Christo esse omnem cælestem illam gloriam, adeò vt neque quærendum sit à nobis aliquid cælestis gloriæ extra ipsum in hac vitâ, neque expectandum sit nos visuros aliquid cælestis gloriæ extra eum in altera vita: nam quum in cælis erimus non videbimus oculis, vel corporis, vel animi, aliquam gloriæ partem præter eam quæ in Christo sese offeret videndam, idque per velum illud carnis nostræ quod gestat sedens ad dextram Patris sui. Quamobrem quoties, vel fide,

vel ſpe, aſſurgimus ad cælos vt contemplemur eam, quæ ibi eſt, gloriam, feramur recta ad Chriſtum ſedentem ad dextram illius maieſtatis, neq; vagetur animus huc illuc in cœlis, luſtrãs alia loca cœleſtia, quàm illum in quo Chriſtꝰ eſt. Quaſi verò prꝛter Chriſtũ & ipſius plenitudinem in cælis ſit aliquid aliud', quod nos intuentes poſsit delectare, & in admirationem ſui rapere.

Et eſtis in eo completi) Occupatio eſt: Excipere enim potuerunt Coloſſenſes. Eſto, Chriſtus deitatis plenus ſit, ſed quid hoc ad nos? Aliena plenitudo quomodò nos implet? Reſpondet Apoſtolus, Et eſtis in eo completi, quaſi dicat, ex eius plenitudine omnes accipitis, & gratiam pro gratia. Ioh. 1. 16. Nota igitur: Plenitudo illa quæ in Chriſto eſt, non tantùm implet ipſum Chriſtum, ſed implet etiam eos qui in ipſo ſunt, nempe, inſiti ei per fidem, qua attrahunt ſibi gratiam ex ipſius gratia abundantiſsima. Quod ſi in hac vita non toti impleantur, tamen in altera Chriſtus erit omnia in omnibus. Et in hac ipſa vita fideles, etſi nõ ſũt pleni, in ſe hoc eſt; inhærenter, tamen quotquot credunt in eum pleni ſunt, adeo vt nihil prætereà deſiderari queat: Nam qui credunt, Chriſtum

ſtum cum tota ipſius plenitudine induunt, etiam in hac vita. Galat.cap.3. verſ. 27. Et Chriſtus cum tota ipſius plenitudine in ipſis habitat per fidem. Eph. 3.17. Ex his videmus, quoties de Chriſti plenitudine audimus, toties eam ad nos applicandam eſſe: Nam eius plenitudo, noſtra eſt plenitudo: eius gloria, noſtra eſt gloria: Aliter enim ſe res habet in gloria Chriſti quàm in gloria regum terræ, quæ non communicatur cum iis qui ipſam intuentur. At Chriſti gloriam tanquam in ſpeculo contemplantes, in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriam, ſicut à domini ſpiritu. 2. Corinth. cap 3. verſ. 18.

Qui eſt caput) Hoc eſt, Dominus, longè eminens ſupra omne imperium ac poteſtatem: vide Eph. 1.21. Philip. cap. 2.9. Hæc Chriſti deſcriptio breuis quidem, ſed magnifica, ideò adiecta videtur, vt amplificetur beneficium hoc impletionis, quod in ipſo habemus. Gloria enim et ſublimitas eius qui implet nos, beneficium impletionis non parum commendat: Duo enim ſunt quæ exaggerant beneficia erga nos Chriſti, primùm ſublimitas illa & ſu-

perexcellens maiestas Christi qui beneficium in nos confert: Deinde vilitas nostra, in quos ea conferuntur. Nam nemo vnquam satis miretur posse tam sublimem Dominum sese demittere ad creaturam tam vilem, tam abiectam, imò tam nullam. Huic igitur sit omnis gloria in secula. Amen.

11 *In quo etiam circumcisi estis circumcisione quæ fit sine manibus, dum corpus carnis peccato obnoxiæ exuistis per circumcisionem Christi:*

12 *Consepulti cum eo per Baptismum, per quem etiam cum eo resurrexistis per fidem Dei efficaciter agentis, qui excitavit eum ex mortuis.*

13 *Vosque mortuos in peccatis & præputio carnis vestræ, cum eo vivificavit, condonatis vobis omnibus peccatis.*

IN quo etiam circumcisi estis) Occupat rursus quod obiici potuit: At non sumus circumcisi: Nam hoc iis inculcatum fuit à falsis doctoribus, circumcisionem ad salutem fuisse necessariam, adeò vt sine ea Christus & Evangelium nihil valerent. Huic respondet & affirmat eos etiam circum-

cum

cumcisos esse in Christo : Ex hac eorum quęstione simul & Pauli responsione discimus, vt quis compleatur in Christo opus esse circumcisione aliqua, & primùm quidem omnium opus esse. Nam nisi amputetur priùs hoc cordis præputium, profectò nullus locus in corde esse potest gratiæ: Deinde discimus nos nulla planè re Iudęis inferiores esse, eos nihil habuisse quod nos reipsa non habeamus. Habuerunt illi quidem externa multa sacramenta, & ceremonias, quas nos non habemus in nostra Ecclesia: At illi vmbras habuerunt, nos corpus habemus. Corpus autem vmbris præstantius est. *Circumcisione quæ fit sine*) De quanam circumcisione loquatur his verbis docet: Non quidem de ea quæ fit hominum manibus, & quæ in propatulo est, id est, in carne, vt loquitur Apostolus Rom. 2. 28. sed quæ cordis est, hoc est, in spiritu, non in litera. Rom. 2. 29. Ex hoc & aliis huiusmodi locis observo discrimen hoc inter Iudæorum & Christianorum religionem: Iudæorum religio fuit in externis & manufactis, habuerunt manufactam circumcisionem, manufactum tabernaculum &c. At nostra religio est in Spiritu ac veritate, adeò vt mihi planè videan-

antur isti qui externam hanc in religione pompam in Ecclesiã Christi invexerunt, mutare Christianismũ in Iudaismum, vel potiùs Paganismum: & meritò mundo huic, qui se tam miserè decipi ab istis patitur, illud Pauli Gal. 3.3. in simili re obiici possit, Adeo amentes estis, cum Spiritu inceperitis nunc carne perficiminini? *Dum corpus*) Circumcisionem illam quæ fit sine manibus, describit verbis sequentibus: Cernitur autem in eo vt quis quid exuat; non autem cernitur in eo vt circumcidatur externum pręputium, sed vt exuatur internum cordis quasi indumentum. Cor enim hominis natura prorsus involutum quasi est indumentis pestiferis, quę nisi auferantur necesse est hominem prorsus inficiant. Sed hoc vestimentum quodnam sit habem⁹ verbis sequentibus. Vocatur corpus, hoc est, massa quędam quasi corporea : Non enim est hoc cordis indumentum, quod exuendum est, superficiarium quid, sed corporeum constans omnibus, vt sic dicam, dimensionibus, longitudine, latitudine & profunditate. Est enim cor hominis involucro quasi corporeo & crasso vndequaq; circumdatum. Quę autem sit materia ex qua confla-

tum

tũ est hoc corpus, habemus verbo sequenti: Corpus enim vocat peccatorum omnis generis: vnde plurali numero vtitur. Invo lucrum igitur hoc corporeum non est ex carne, sanguine & ossib⁹, ex quib⁹ est hoc externũ quod gestamus corpus, sed ex peccatis omnis generis conflatum. Cor enim hominis immersum est peccatis, & in peccatis mortuũ, vt loquitur Apost. alibi. Eph. 2. 1. Postremò, peccatorum quę dicit fontẽ aperit, nimirũ carnem. Peccatorum enim carnis dicit, hoc est, ex carne profectorũ. Carnis nomine intelligo insitã hanc & innatam naturę corruptelã. Quare radix peccatorum omnium non est extra hominem, sed penit⁹ in homine residet, nempe taro & corrupta natura, quę continuò dies & noctes nisi mortificetur suppullulat & emittit ex se fructus acerbissimos & mortiferos. Quamobrẽ hoc quod dicit de exuendo hoc corpore maximè cernitur in eruenda & exstirpanda amara ista peccati radice. Heb. 12. 15. *Per circumcisionem Christi)* Vno quasi verbo complectitur quæ dixit de exuendo corpore peccatorũ carnis: Ac si dicat, loquor de circumcisione Christi, hoc est, de circumcisione quę fit per Christum. Locutio enim passivè,

non activè, accipienda est. Nota igitur per Christum fieri circumcisionem illam spiritualem: nam eius virtute fit, sine qua nihil operatur in nobis Spiritus sanctus. Nam Spiritus sanctus, qui operatur in nobis, ab eo fluit, & per ipsius carnem crucifixam primùm, deinde glorificatam, in nos vsque demanat.

Consepulti cum eo) Immoratur in hac, quam dixit, Christi circumcisione, & quomodò fiat ea docet. Cernitur autem in eo quod ipsi fiamus conformes, primùm in morte & sepultura, deinde in vita ac resurrectione: vno verbo, cernitur in regeneratione nostri quæ consistit in mortificatione veteris hominis, & viuificatione noui hominis. Ait igitur *Consepulti cum eo*. Sepultura præsupponit mortem: Ergo prius mortui cum eo fuimus, deinde sepulti cum eo. *Cum eo*) hoc est, illi insiti per fidem, ac proinde cum eo consepulti. Nam fides qua ipsi inserimur facit vt cum eo, vel moriamur, vel viuamus, vide Rom. 6. 4. & deinceps. Quod igitur obserυo hoc est, Prima cum Christo conformitas est in morte & sepultura ipsius: Nemo enim viuet cum Christo, nisi qui prius mortuus & sepultus fuerit cum eo, sepultus, inquam,

in

in dolore propter peccatum, in lachrymis & seria resipiscentia. Nam vita illa Christi, erumpit ex morte: & gaudium spirituale, ex dolore existit. *Per Baptismum*) Hoc instrumentum est, per quod fit hæc sepultura, Sacramentum Baptismi, quod successit in locum Sacramenti circumcisionis. Sacramento autem Baptismi non tantùm repræsentãtur nobis Christi mors & sepultura, sed etiam in nobis crucifigitur ac sepelitur vetus homo, idque virtute mortis & sepulturæ Christi, quæ in Baptismi Sacramento ad viuum repręsentantur: Neque tantùm est hic effectus in nobis Baptismi tum quum baptizamur primùm, sed Baptismus noster semel ministratus in nobis per totum vitæ spacium efficax est, si oculos continuò ad eum retrò flexerimus, ipsumque grata recordatione eoluerimus. *Per quem etiam cum eo*) Hæc est secunda pars conformitatis nostræ cum Christo, nempe cum eo resurrectio ad vitam, quæ per regenerationem inchoatur in hac vita, per resurrectionem autem corporum perficietur in altera vita. Paul. Rom. 6. 4. demonstrat hanc posteriorem conformitatis partem ex illa priori necessariò sequi, & experientia ipsa satis

do-

docet eum hominem resurgere cum Christo ad vitam, qui cum eo moritur ac sepelitur: Nam non priùs dolet quis seriò de peccato, quàm sentiat lętitiam illam & vitam Christi: & cum gaudio ineffabili ac glorioso, vt loquitur Petrus. 1. Epist. 1. 8. coniuncta sunt suspiria illa inenarrabilia, de quibus Paulus. Rom. 8. 26. & hęc quoque conformitatis cum Christo pars, siue secunda pars Regenerationis nostri perficitur per Baptismum, tanquam potens instrumentum Spiritus sancti: Nam in Baptismo non tantùm repręsentatur nobis Christi glorioſa resurrectio, sed etiam virtute illius resurrectionis per Baptismum nos resurgimus cum Christo ad novam vitam: Estque hic effectus Baptismi, non tantùm eo momento, quo quis baptizatur, sed etiam in toto vitæ spacio, si non siverimus baptismum semel administratum ex oculis nostris discedere, sed perpetuò ipsius fuerimus recordati. *Per fidem*) Ne quis putet Baptismum in nobis efficacē esse ex opere operato, vt loquuntur, addit per fidem in nobis efficacem esse eum, & ita demùm nos consepeliri cum Christo & resurgere cum eo per Baptismum, si interea credamus: Nam

neque Sacramentum, neque verbū efficax est nisi in credentibus: Vnde Rom. cap.1.vers.16. Evangelium dicitur potens Dei instrumentum ad salutem, sed cui? ei inquit, qui credit. *Dei efficacitet agentis*) Fidei hoc obiectum est, nempe efficacitas illa Dei, vel Deus efficax. Efficacitatem hanc vocavit fortis roboris ipsius: Epheſ.cap.1.vers.19. Nota igitur non fieri istam peccati mortificationem & resurrectionem vulgari aliqua virtute, sed Dei efficacitate: Solus enim Deus est qui mortificare potest in nobis peccatum, & nos ad vitam excitare: Imo hęc non tam per fidem qua nos ἐνεργειαν hanc apprehendimus, quàm per ἐνεργειαν ipsam apprehensam fide in nobis perficiuntur.

Qui excitauit eum ex mortuis) Sequitur descriptio quædam Dei ex effectis suis magnifica. Primum effectum est in Christo ex mortuis suscitando, quod eò pertinet cum cęteris quæ sequuntur deinceps, vt declaretur illa, quam dixit ipsius ἐνεργεια & efficacia. Paulus quum vult ἐνεργειαν illam ostendere, id solet facere allato in medium illo effecto excitationis Christi ex mortuis, vt Eph.cap.1.20.

post-

postquám dixit Secundum efficacitatem fortis roboris ipsius, continuò addidit, Quam exeruit in Christo, cum eum excitavit ex mortuis. Quòd autem huius effecti potissimùm delectum soleat facere, hæc causa videtur esse, quia in hoc effectò maximè omnium conspecta est ea ἐνέργεια: quandoquidem Christus maximè omnium mortis vinculis & doloribus fuit constrictus: Vnde in solvendis illis vinculis & doloribus mortis oportuit vim & efficacitatem esse multò maximam. Iam verò cum ἐνέργεια illa excitarit Christum ex mortuis, facile est ei nos ex mortuis cum eo excitare: Vt non sit quod quis dubitet de regeneratione & resurrectione sua, si in Christum Iesum credat.

Vosque mortuos in peccatis) Hactenus de primo effecto efficaciæ Dei, qui est in excitando ipso Christo ex mortuis: Sequitur his verbis secundus effectus eiusdem efficaciæ, qui est in viuificandis cum eo Colossensibus, & omninò Gentibus. Hoc effectum non est nudè prepositum, sed per antithesin superioris ipsorum conditionis: id autem fit ad exaggerandum Dei tantum beneficium. Superior conditio continetur his verbis, Vosq; mortuos &c.

Ex

Ex hac comparatione ſiue antitheſi diſcimus primùm hanc voluntatem Dei eſſe, vt magni faciamus omnia quæcunque in nos per Chriſtum confert beneficia, & de iis omni tempore ſeriò cogitemus, præſertim verò de illa noſtri cum Chriſto vivificatione. Id autem obtinetur, ſi retrò flectamus oculos ad conditionem illam mortis multò miſerrimã, in qua hæſimus antequàm viuificati eſſemus cum Chriſto, & in eo. Quamobrem nulla re nobis magis opus eſt, quàm ſanctificata memoria. Deus autem ne fideles obliviſcantur illius mortis in qua hæſerunt, facit perpetuò vt odor ipſius tam fœtidus, & tam inſuavis, feriat ipſorũ nares. Nam manent reliquiæ illius mortis perpetuò dum hîc vivimus: Id autem eo fine facit, vt ex his reliquiis æſtiment quanta in morte iacuerint, antequàm cœperunt vivificari cum Chriſto, & recentem ipſius retineant memoriam: vt recordati vitam illam quam recuperârunt in Chriſto, ſummo in pretio habeant, ac plurimi eam faciant. Sed expendamus verba: Mortuos dicit eos fuiſſe etiam tum cum putabant ſe vivere: Nam quotquot extra Chriſtum ſunt, etiam viventes, mortui ſunt, vt Paulus loquitur de vidua

quæ

quę in luxu viuit. 1. Tim. 5. 6. Ea inquit, viuens mortua est. Sed eo miserior est mors, quod ignorent sese mortuos esse. Neque profectò qui extra Christũ est, seriò sentit se mortuum esse, priusquã incipiat esse in Christo, & degustare illã quæ ex ipso solo fluit, vitam tam suavem & iucundã, quam postquã semel degustârunt homines, non tantùm sentire incipiunt mortem illam in qua iacuerunt, sed etiam ab ea totis animis abhorrent: neque vlla conditione vitam illã quam sentire incipiunt, cum ea cõmutarent. *In peccatis*) Sequuntur causę quæ constituũt & efficiũt hanc quã dixit mortẽ, ac primùm mortis causa sunt peccata actualia cuiuscumq; generis, quæ hoc verbo intelliguntur: Nam hæc privant vitam Dei, vt vocatur Eph. 4. 28. Mors autem privatio est, neque tantùm privant peccata vitam Dei in hoc seculo, sed involuunt nos reatui mortis æternę in futuro seculo. Ergo peccata in nobis regnantia efficiunt vt & iam mortui simus, & rei simus mortis ęternę. Sed hîc quęrat quis, Annon is qui peccat agit, & qui maximè peccat vulgò habetur pro homine vivacissimo? quomodò igitur dicitur quis in peccatis esse mortuo? Respõdeo mortuũ eum affir-

affirmat Apost. hoc loco, quia etsi viuat corporaliter: tamẽ mortuꝰ est spiritualiter (de morte autẽ spirituali hîc agit) et abalienatꝰ est à vita Dei. Prętereà peccata nihil aliud sũt, quam opera mortua, vt vocãtur, Heb. 6.1. & tanquã fœtidus odor qui exhalatur ex putido cadavere. Nemo est qui ex odore hoc fœtido qui exhalatur cocludat cadaver vivere. Sic nemo ex operibus his mortuis concludat peccatorem vivere. *Et præputio carnis*) Hæc altera & magis insita in nobis mortis causa, nempe natiua corruptio, quam vocant peccatum originale; hanc nativã corruptionẽ expressit per allusionem factã ad pręputiũ illud gentium quod signũ erat eis, manentis adhuc in iis natiuę corruptionis: vt è contra, circumcisio Iudęis fuit signum natiuę corruptionis abolitę. Vide Eph. 2. 11. 12. causa igitur mortis quã dixit, non tantùm sunt transeuntes (vt vocãtur) actiones, & peccata actualia, quę relinquunt quidem post se reatum, atque etiam à natiua corruptione profecta, eam magis magisque adaugent: sed tamen transeunt à nobis, neq; in nobis manent ac hęrent; non (inquam) causę illius mortis sunt tantùm hæ actiones transeuntes, sed etiam qualitas innata, inhærens,

in

in nobis penitus insita, ac permanens: Quamobrem oportet mortem eam quam efficit qualitas hæc permanens mortis genus esse tenacissimum ac permanentissimum: Nam vt morbi illi qui habent causam ab ipso ortu & à naturæ defectu aliquo vel vitiositate aliqua, permanentes sunt, neque humana arte aliqua curari possunt sic vt penitùs tollantur: Sic morbus hic noster spiritualis, qui habet causam in natura corrupta curari non potest, nisi accedat gratia, quæ naturæ contraria est, & naturam corruptam corrigat, tandemque eam aboleat. Hactenus de priori ipsorum statu ac conditione. Sequitur deinde vivificationis beneficium. *Vivificavit*, inquit, *cum eo*) Vita hæc morti quam dixit contraria est, ac proinde cum mors fuerit spiritualis, vita hæc spiritualis est: quæ non aufertur vnà cum hac vita, sed in ipsa morte manet. Circumfero, inquit Paulus, mortificationem Domini Iesu in corpore meo (De morte hac corporali loquitur) Et tamen (inquit) vita Iesu manifesta fit in eodem hoc meo corpore (de vita hac spirituali loquitur) 2. Cor. 4. 10. Et postea ibidem vers. 16. Externus homo corrumpitur, sed internus quotidie reno-

va-

vatur. Hęc igitur vita ſpiritualis compenſat iacturam vitæ corporalis, ſecus pluſquam miſeri ſumus. *Cum eo*) Hęc verba innuunt tria: primum nos non vivificari ſolos, ſed vnà cum Chriſto vivificato: Secundum nos non vivificari primo loco, ſed ſecundo loco poſt Chriſtum iam vivificatum: Non enim dicit Chriſtum vivificari nobiſcum, ſed nos vivificari cum Chriſto: Tertium nos non vivificari immediatè à Deo, ſed mediatè per Chriſtum, in quem primum infunditur omnis vita ſpiritualis, deinde nos illi inſiti per fidem, ex ipſius plenitudine haurimus. Quamobrem qui cupit viuere vitam hanc ſpiritualem, quę vita eſt Dei, primò ne ſegreget ſe à Chriſto & Eccleſia, quę eſt corpus ipſius: Secundò ne quęrat primo loco vivere, ſed ſatis habeat poſt Chriſtum & cum Chriſto vivere: Tertiò ne quęrat vitam quę immediatè in ipſum influat, ſine Chriſto, ſed quęrat vivere in eo & per eum, in quo eſt omnis vita, & qui omnia implet in omnibus. Eph. 1. 23. *Condonatis vobis*) Hîc fundamentum ſuum vivificationi ſubſternit, nempe peccatorum remiſsionem: Peccatorum enim remiſsio qua tollitur peccati omnis reatus antegreditur natura & or-

dine vivificationem. Peccatorum remissio fit per sanguinem Christi, propter quem remittit nobis Deus peccata nostra, hoc est, ea nobis non imputat, sed aufert reatum eorum, & pœnam ipsis debitam, contentus satisfactione Christi, simulque nos in Christo iustificat, pronunciat nos in eo iustos, imputata nobis perfecta ipsius iustitia. Vivificatio verò fit per Spiritum Christi, qui post sublatum peccati reatum, corruptionẽ naturę, quę etiã post remissionem manet, paulatim abolet. Hoc ordine beneficiorum Dei obseruato, nemo quęrat viuere cum Christo per ipsius Spiritum sanctum, nisi posteaquàm remissa fuerint ipsi peccata per ipsius sanguinem, & in ipso fuerit iustificatus: Nam quos iustificavit eos etiam glorificavit. Rom. 8. 30.

14 *Ac deleto quod aduersus nos* erat *rituum chirographo: quod*, inquam, *erat nobis contrarium*: ipse *verò cruci affixum è medio sustulit*

15 Et *expoliata imperia ac potestates traduxit, palam triumphatis illis per eam.*

AC delcto quod aduersus) Hîc ἀπὸ κοινοῦ repetendum est, vivificavit nos, scilicet Iudęos, vna cùm Christo, deleto iam chirographo rituum, quod aduersus nos erat

rat: Nisi enim hæc hîc intelligantur, oratio non erit plena, neque sensus perfectus. Agitur autem hoc loco de tertio effecto Dei, in vivificandis nimirùm Iudæis. Hîc autem vivificationis illius fundamentum substernit, quod necessariò antecedit actum vivificandi, nempe deletionem & inductionem chirographi, quod adversus ipsos erat. Vivificationem gentium præcessit tantùm remissio peccatorum: Nam gentibus non est data lex illa scripta: Vivificationem verò Iudæorum præcessit, non tantùm remissio peccatorum, sed deletio chirographi ipsorum, quo permanente, remitti iis peccata non potuerunt: Iudæi enim obligabant sese chirographo suo ad mortem æternam, & mortis æternæ reatum obsignabant chirographo suo: Non enim tantùm rei mortis erant, sed & reatum illum chirographo suo obsignabant: Id autem fecerunt toties quoties participes fuerunt rituum illorũ legalium: de ratione posteà audiemus. Gentes quidem reæ fuerunt mortis, sed reatum suum huiusmodi chirographo non obsignarunt: non enim iis data est lex. Sed expendamus verba. His primis verbis quatuor veniunt consideranda. Primùm quis hic sit

qui deleverit Chirographum: Secundò quid significet hoc deletionis verbum: Tertiò quid sit quod deletum est, nempè chirographū rituū: Quartò quo pertinebat hoc Chirographum Iudæorū, pro iisne faciebat, an contra eos? De primo vt dicamus: *Quod adversum nos erat*, inquit) Quę dicuntur hoc versu & sequenti, satis arguunt mutatam esse personam agentem siue efficientem istam, de qua sermo est, vivificationem. Nam quum vivificatio ipsius Christi primùm, deinde gentium attributa sit Patri suprà ver. 13. hîc vivificatio & deletio Chirographi Iudæorum tribuitur Filio Christo, eo nimirùm fine, vt intelligatur communis operatio Patris & Filii. Pater meus vsque adhuc operatur, & ego operor. Ioh. 5. 17. Similis mutatio personę fuit suprà cap. 1. vers. 19. 20. 21. 22. De secundo: Verbo delendi significatur perfecta adeò deletio, vt nullum vestigium maneat eius quod deletum est: Christus itaque cancellarius ille magnus Patris est, vt sic eum appellem, qui cancellat perfectèque delet quę vult scripta & chirographa, quibus sese obligant peccatores ad mortē: quare quisquis vult chirographū suum deleri & induci, is ad eum solū con-

confugiat. De tertio: quod deletum est vocatur Chirographum rituum, siue chirographum decretorum, siue denique Chirographum vnà cum decretis siue ritibus. Hoc verbo rituũ siue decretorum accipio ritus & ceremonias legales, quæ erant Iudæis tanquam Chirographum quoties iis sunt vsi. De quarto: Quo pertinuerit hoc Chirographum rituum verba sequentia exponunt, nempe, aduersum Iudæos erat, hoc est, obsignabat ipsis mortis reatum: Nam quoties exercuerunt illas legis ceremonias, toties obsignabant reatum suum. Verbi gratia cùm circumcidebantur ex lege tum professi sunt publicè se coinquinatos peccato originis, ac proinde reos mortis æternę: quoties vsi sunt lotionibus illis lege præscriptis, toties professi sunt publicè se totos sordib' cõtaminatos, ac proinde reos mortis, quoties denique victimas obtulerunt, toties professi sunt se peccatores & reos mortis. Hîc quæri potest: Annon hę legis ceremonię figurę & vmbrę totidem erant Christi, & ad Christum tanquam pædagogus quasi manu eos ducébant? Quomodò igitur erant Chirographum aduersum eos? Respondeo, ceremonię hæ acceptę quidem cum

Chri-

Christo, vt ipsius venturi vmbræ & figuræ, non erant chirographum adversum eos, nec contra eos faciebant, sed pro iis, & quotquot his vsi sunt, vt figuris Christi, & Christum venturum, hoc est, corpus ipsum, in vmbris sunt intuiti oculis fidei, ii omnes per eas servati sunt. At verò seorsum à Christo accepti illi ritus, quasi cultus quidam Dei ex opere operato, vt loquuntur, procurantes vitam ac salutem, quo modo à plerisque Iudæorum ante Christi adventum acceptos fuisse vel hic Pauli locus ostendit, hoc (inquã) modo accepti illi ritus, nihil aliud erant, quàm chirographum quod erat adversum eos, obsignans ipsorum reatum. Quotquot autem sic iis sunt vsi, hoc est, non vt figuris Christi, neque in iis Christum venturum sunt intuiti oculis fidei, ii omnes perierunt. Hoc autem loco intelliguntur hi ritus sine Christo, vt cultus quidam Dei per se seorsum à Christo, vt Iudæi falsò putabant, Deo gratus atque acceptus. Atque hæc hactenus de illis quatuor quæ à nobis proposita sunt. Tantùm hoc observandum adiicimus. Nemo eorum omnium est qui pereunt, qui non priùs Chirographo suo reatum mortis obsignarit:

Nam

Nam etiam Gentes, quę non acceperunt legem & ritus illos, chirographo quodam interno, conſcientiæ nimirum, reatum ſuum obſignârunt. Quare, quod omnium priùs faciendum eſt omnibus hoc nimirum eſt, vt ſupplices ad Chriſtum confugiant, qui ſolus delet chirographa quæ ſunt nobis contraria, precantes eum ex animis, vt ipſe velit noſtra chirographa delere: Nam non deletis chirographis, nulla peccatorum remiſsio, nulla peccatorum remiſsione facta, nulla ſalus.

Quod, inquam, *erat nobis contrarium*) Repetit quod dixit, & de natura Chirographi Iudæorum, & de facto Chriſti, etſi verbis aliis; Nunc enim dicit Chirographum illud fuiſſe Iudæis contrarium, quum priùs dixerit illud eſſe adverſum ipſos, & nunc dicit ſublatum illud è medio, quum priùs deletum dixerit. Sed res eſt eadem vtrobique. Repetitio autem hæc ad maiorem rei certitudinem facta eſt, ne quis dubitet, quin ita factum ſit à Chriſto. Nam omnibus modis oportet nos perſuaſos eſſe de Chriſti erga nos beneficiis. Præterea contrarietas hęc & oppoſitio membrorum valet ad maiorem illuſtrationem &

commendationem beneficii erga nos Christi, quòd cum Iudęi ipsi fecerint contra se, & malo suo obsignarint reatum suum, Christus pro iis fecerit, & ipsorum bono sustulerit è medio illud chirographum. Postremò verbum hoc quo vtitur quiddam amplius significare videtur, quã verbum illud quo priùs est vsus. Nam plus est tollere è medio Chirographum, quàm delere ipsum, aut lineas transversas ipsi inducere. Tollere enim è medio est ipsas tabulas in quibus est scriptum prorsus destruere, non modò lineas expungere, aut inducere: Vt inde discamus liberalitatem ac beneficentiam Christi perfectam esse ac plenam, non inchoatã duntaxat, qualis solet esse hominum beneficentia, qui opus benevolentiæ inchoatũ relinquunt. Perfecta igitur peccati remissio est Iustificatio. *Cruci affixum*) His verbis est modus quo Christus sustulerit è medio Chirographum Iudęorũ, nempe per affixionem ipsius ad crucem: qui modus pręsupponit ipsius Christi crucifixionem. Charè igitur constitit Christo hæc chirographi Iudęorum, adeóque nostrûm omnium, destructio. Sed ad rem; Christus non solus crucifixus est, sed multa vnà cum Christo cru-

ci

ei sunt affixa, Chirographum nostrum cum eo crucifixum est: Peccatum nostrum crucifixum: Mors & maledictio crucifixa: Sic enim de his loquitur Scriptura; Hæc enim omnia Christi Mediatoris humeris quasi sunt imposita. Esaias. 53. 4. Verumtamen morbos nostros ipse pertulit, & dolores ipsos nostros baiulauit: Cùm in crucem est sublatus, cum hoc tanto onere sibi impositò est sublatus, sed ipse solus pondus sensit: Cum è cruce penderet cum hoc tanto onere pependit. Vnde 1. Pet. 2. 24. Pertulit peccata nostra super lignum in corpore suo. Non est autem putandum ista quę portavit in cruce manisse illæsa, cum ipse esset crucifixus, verùm & hęc quoque omnia & singula vpà cum eo sunt crucifixa. Crucifixum Chirographũ, crucifixum peccatum, crucifixa denique mors & maledictio: At à quo vel quibus? Non tam à Iudæis qui Christum ipsum crucifixerunt, quàm ab ipsomet Christo, qui crucifixus est. At quomodo? Per illam ipsam Christi crucifixionem, virtute enim crucifixionis ipsius, hæc sunt crucifixa omnia: Vt videas nihil esse efficacius, quàm crucem & mortẽ Christi, & Christum inter patiendum egisse quàm max-

maximè. *Et expoliata imperia*) Amplificatio facti proximi in affigendo cruci Iudæorũ Chirographum: quasi dicat, Expoliavit imperia ac potestates in cruce; Ne non sit quod quis miretur affixum esse Chirographum nostrum: Fecit quod maius fuit: Ergo nemo dubitet eum fecisse quod minus est: Et fecit quòque nostra causa quod maius est: Nam duo erant Iudæis, imò omnibus hominibus, contraria; Primùm contrarium erat ipsorum Chirographum. Deinde contrarii erant omnes Diaboli, qui totidem erant accusatores ipsorum, & materiam accusandi ex illo eorum ipso chirographo sibi quærebant. Quod ad Chirographum, Christus ipsum primùm cruci affixum sustulit è medio: Deinde se convertit ad accusatores, eosque primùm expoliavit, arma iis detraxit, postea de iis triumphavit: Iam verò Apostolus quòdammodò hîc argumentatur à maiori ad minus, vt antea admonuimus: Eaque re nos docet non esse dubitandum quin deletum sit nostrum chirographum, remissa sint nostra peccata, si Diabolus à Christo sit superatus. Præcedit enim abolitio Chirographi nostri abolitionem Diaboli.

Qua-

Quare dum videmus non ita furere Diabolum iam post Christi adventum, vt anteà; id argumento nobis est, remissa esse hominum peccata. Nam si non essent remissa peccata, profectò non minùs nunc fureret, quàm vnquam anteà: Nam per peccatum regnat & tyrannidem suam exercet. Video hîc rursus Christum in cruce occupatissimum fuisse, nempe, quo tempore extrema omnia patiebatur: Iudæi eum sunt persequuti acerrimè: Ipse Diabolos intereà persequebatur, etiam virtute persequutionis & passionis suę; vt videas morte Christi nihil esse efficacius. Sed expendamus verba: Ait *Christum in cruce expoliasse Imperia ac potestates.* De eo loquitur vt de viro bellicoso, captiuos hostes armis suis spoliante. Res mira, Christus dum Iudęi ac milites spoliant eum vestibus suis, ac nudum in crucem agunt, ipse imperiis ac potestatibus, hoc est, Iudęorũ ac militum Dominis detrahit arma sua. Sed qua virtute? Nempe virtute nuditatis suę: vt rursus videas Christi passione, & omnib⁹ passionis ipsius partibus nihil fuisse efficacius, sed ipsam omnium efficacissimam fuisse, et ad chirographum nostrum delendum, & ad diabolos armis suis spoliandos

Rur-

Rursus hîc videmus iam post Christi adventum, ipsiusque crucifixionem, Diabolos qui anteà furere solebant, et regnabant in mundo per summam tyrannidem, Diabolos, inquam, iam armis ac potestate illa sua spoliatos esse, et nobis qui nunc cum Diabolis dimicamus, rem esse cum nudato ac spoliato hoste; sed ea lege, si nos non reperiamur nudi et inermes, hoc est, extra Christum et absq; fide Christi: Nam si nos armati simus fide Christi, ipse inermis est ac nudus, ac licet tentare possit, tamen superare non potest. At verò si nos inermes simus, non induti Christo per fidem in ipsum, Diabolus vt armatus hostis adversus nos prodit, manet adhuc imperium, manet potestas, nos autem ei prædæ sumus. *Traduxit*) Hactenus de victoria Christi in cruce: Nunc de Triumpho. Nam his verbis allusio facta est ad morem illum veterem triumphandi, qui apud Romanos fuit, apud quos captiui, postquam armis fuerunt spoliati et vincti, ante Imperatorem in curru suo triumphali insidentẽ, et eminentem ac conspicuum, per medium populum hinc inde spectantem ducebantur, ad gloriam Imperatoris summam, ipsorũ verò perpetuam ignominiã.

Ver-

Verbum traducendi significat traductionẽ captivorũ & victorum Diabolorum per medium mundũ, hinc inde pompam illam ac triumphum intuentem. Res mira; Christus, cum ipse traductus est à Iudęis & diabolis quoq; ipsis per medium mundum, qui interfuit illi spectaculo, & in crucem actus est, eo ipso tempore traduxit Diabolos per medium populum, & in crucem ipsos egit. Sed qua virtute? Nempe virtute illius ipsius traductionis suę: nisi enim ipse sic fuisset traductus, profectò eos non traduxisset: Vt rursus videas virtutem illam summam passionis & mortis Christi. Audivimus de nuditate diaboli; nunc videmus quæ sit ipsius ignominia, qua affectus est postquàm iam Christus in mundum venit ac crucifixus est; vt sciamus rem nobis esse cum Diabolo ignominioso, & eo qui totus sit confusus, si modò simus nos in Christo glorioſi. Nam si nos simus glorioſi, ipse ignominioſus est: Sin nos ignominioſi simus sine Christo, ipse glorioſus est. *Palam*) Hoc verbo significatur non clam traductos Diabolos, sed palam, vt in triumphis fieri solebat, spectante nimirùm toto mundo: Non enim minùs aperta fuit illa traductio, quàm fuit crucifixio Christi:

sti. Sed quibusnã? Turba quidem nihil vidit nisi Christũ tractum, & summa cum ignominia crucifixum: at si Christum cognovisset, vidisset in tractione illa ipsius, tractionem diabolorum, idq; etiam ille titulus scriptus à Pilato non obscurè indicavit: Hic est Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Ioh. 19. 19. Sed Angeli viderũt intereà tractos diabolos, & triũphantẽ Christũ: Idem viderunt quotquot aderant qui spirituali oculo intuiti sunt, & agnouerunt eum Messiam esse (aliquot autẽ certè aderant.) Paulus qui oculos fidei reflexit quasi retrò ad illam crucem, vidit illum Christi triumphum. Et nos quotquot hodierno die mortis & crucis Christi vim & efficaciam in nobis ipsi experimur, illum ipsum eius triumphum, quasi oculis retrò flexis, clarè intuemur. *Triumphatis illis*) Explicat ac definit quodammodò illam, quam dixit, imperiorum ac potestatum tractionem per triumphũ Christi; hoc enim nihil aliud fuit quàm triumphare: Triumphavit ergo Christus post superatos diabolos, & hic quidem verus est triumphus. Vulgò homines triumphant post superatos homines, hoc est, carnem & sanguinẽ, & sæpè post iniustam victori-

ctoriam. Quod si Christo velimus esse similes, demus operam vt triumphemus potiùs post superatum illum diabolum, qui agit vnumquemq; , & rapit præcipitem ad homines opprimendos: ex hac enim victoria verus est ac solidus triumphus. Hoc igitur verbo adumbratur summa Christi gloria: Nam maior triumpho gloria in terris non est vlla. *Per eam*) Hîc significatur non tantùm Christũ triumphasse in cruce insidentẽ, tanquã in curru triumphali, sed etiam per crucem, virtute crucis, mortis, ignominię ipsius, quò profectò oportuit triumphum & gloriam ipsius maiorem esse, quàm si extra crucem in externa sua gloria positus ac constitutus, de diabolis triumphasset: Nam hoc modo ipsos quodammodò in cruce illa, quam ipsi fixerunt, suspendit : & ignominia qua ipsi eum affecerunt , ea ipse eos ignominia affecit, &, vt dici solet vulgò, eos gladio suo iugulavit. Sed vnde hæc tanta virtus tam ignominiosæ morti fuit? Respondeo, Mors Christi hominis vivificata quodammodò fuit per vitam Filii Dei, & mors Dei fuit : Mors autem Dei vivacior est vita omnium, vel hominum, vel etiam angelorum. Postremò, vt hoc adnotemus

quod

quod quis fortasse miretur, Paulus hîc crucifixum hominem tam sublimibus verbis, & magnificis, vt imperatorem aliquem, effert. Quod dum facit videtur decorum non servare, sed hæc omnia potiùs hyperbolicè loqui. Respondeo, Nihil hîc hyperbolicum esse: Nam plus fuit in re ipsa, quàm verba efferunt. Nam magnificentior fuit triumphus ille Christi spiritualis, quàm vnquam fuit triumphus cuiusquam imperatoris externus & corporalis. Paulus autem ex abundantia cordis locutus est: Nam cor oppletum adeò virtute illa mortis Christi, os ipsius aperuit ac dilatavit ad effundendum grandia & magnifica adeò verba. Verùm ii soli qui ipsi in sese experiuntur virtutem illam ac efficaciam mortis Christi, huius rei veri sunt censores ac Iudices; aliis autem sermo crucis stultitia est.

16 *Nequis igitur vos damnet ob cibum, vel potum, aut respectu diei festi, aut nouilunij, aut Sabbathorum.*

17 *Quæ sunt vmbra rerum futurarum, at corpus est Christi.*

NEquis igitur vos damnet) Ex proximo loco deducit institutam in hac Epi-

Epistolæ parte admonitionem, in hanc formam. Christus Chirographum nostrum cruci affixum sustulit è medio, abolevit legis ceremonias, imò quod amplius est Diabolos ipsos superavit, ac de iis triumphavit: Ergo nemo vos damnet ob cibum, potum, &c. hoc est, propter ritus ac ceremonias, quæ iam abolitę sunt. Verba non tantùm speciem habent admonitionis, sed etiam legis atque inhibitionis, quę vetat atque cavet ne quisquam ex falsis doctoribus damnet eos ob cibū ac potū, vt sciam, legis transgressionē esse cū quis quenquam damnat propter ceremonias, & res ἀδιαφορας, præsertim ex eis qui ceremoniis nunquam erant obnoxii, & quibus nunquā data est lex illa ceremonialis, nimirùm iis qui erant ex gentibus in quibꝰ fuerunt Colossenses illo tempore, & in quibus etiam sumus nos qui hodierno die vivimus. Quare Papista violatę legis huius pœnam incurrit, qui damnat quenquam propter ceremonias istas, & res in se adiaphoras, imponens eas hominibus cū necessitatis opinione. Sed doctrina hîc generalis est. Quod Deus absoluit ne condemnet quisquā: quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus is est qui iu-

stificat, Quis est qui condemnet? Christus is est qui mortuus est, &c. Rom. 8. 33. 34. *Ob cibum vel potum*) In his est materia damnationis hîc vetitæ, nimirum in cibo, in potu, in die festo, &c ἢ ἐν μέρει, &c. hoc est, vt Beza vertit, respectu diei festi, nisi malis Apostolum intelligere partem vel particulam aliquam diei festi, quam violare & non observare, falsis istis doctoribus erat religio: vt si dicat quis nostra lingua *In ane bitt of ane Halie-day*. Nam hæc locutus est Apostolus per indignationem, vt satis apparet ex ipsis verbis. Porrò diem festum intelligere videtur solemnem magis, ac celebrem καὶ ἑορτὴν: cuiusmodi erat Paschatis, Pentecostes, Tabernaculorum. Neomeniam intelligit festum diem minùs celebrem ac solennem, quæ celebrari solita est vnoquoq; mense. Sabbathũ etiam diem festum intelligit minùs celebrem ac solennem, quod celebrari consuevit vnaquaque hebdomade. De cibo hoc tantùm admonemus. In veteri populo erat mandatum ciborum discrimen, quorum alii mũndi erant, alii immundi: quoquidem discrimine significabatur discrimen Iudæorum & gentium, ne scilicet Iudæi communicarent cum impuritate gentiũ, siue in doctrina, siue in moribus

Postquam in aduentu Christi sublatū est hoc discrimen Iudæorum & gentiū, diruta iam illa macerie, quę diuisit inter eos populos, iam ciborū non ampliùs manet discrimẽ aliquod, sed omnia munda mūdis, & immunda omnia immundis. Tit. 1. 15. Adhuc itaq; retinere ciborum illud discrimen, quid aliud est quàm retinere populorum discrimen, ac proinde negare Christi aduentū. De diebus Festis hoc tantùm dicã, vmbras fuisse & figuras Christi venturi & benedictionum ipsius, ideoq; in aduentu Christi abolitos esse, quos tamen qui retinuerunt pertinaciter, quid aliud fecerunt quàm negarunt Christi in carne manifestationẽ. De cibis hîc quęri potest primùm, quid de iis sentiendum sit qui ciborum discrimen aliquod faciunt, & à cibis abstinẽt? Respondeo, Si id faciãt causa politię, id est, quia magistratus sic pręcipit, rectè faciũt: Nam potestati sublimiori parendũ propter conscientiã. Sin rursus id faciãt eo fine vt corporalis huiusmodi exercitatio iis prosit ad spiritualem exercitationẽ, ad resipiscentiam, ad preces, &c. benè quoq; faciunt. siue sua sponte id faciat, siue secundũ constitutionem aliquã ecclesiasticã. Sin in cibis, & rebus adiaphoris, religionẽ verã, ac solidã pietatẽ collocent

idq; cum opinione quadam meriti, vt faciunt in Papatu, iam malè faciũt et superstitiosi sunt. Deinde de diebus quæritur, quid de iis sentiendũ sit, qui dies obsignãt? Respondeo: obseruantur & celebrãtur, aut ex mandato Dei, in suum cultũ, aut ex hominũ instituto; Ex mandato complures fuerũt in veteri populo, dies festi præter Sabbathũ. Nunc autem vnicum est sabbathũ, hoc est, septimus dies, de cuius celebritate & sanctificatione exstat lex moralis. Hunc diem qui celebrant, rectè & ex mandato Dei faciunt. Rursus ex instituto hominum dies festi celebrantur varii generis: vel enim celebrantur in cultum divorum & sanctorum, quos vocant, vulgarium, dum accurritur ad ossa eorum, quæ reliquias vocãt: Hos dies celebrare Idololatricum est, & hi dies festi à reformatis omnibus Ecclesiis aboliti sunt. Vel celebrantur in honorem Apostolorum: Ex reformatis Ecclesiis sunt quæ hos dies etiamnum celebrant, sed quàm quæso benè? Celebratio enim horum dierum non caret specie quadam Idololatriæ: primùm enim Idololatricũ est celebrare diem festum vlli hominum: celebratio enim festi, & ipsa diuini cultus species est, & sub se varias alias continet

timet. Deinde factum illud Dei in abscondendo Mosis corpore ne posset inveniri, & pro Idolo coli à Iudæis, nos satis admonet de hac re, quàm Idololatricũ sit instituere ac celebrare sanctis mortuis dies festos. Tertiò non legimus Mosi aut Aaroni à veteri pŏpulo celebratos vllos dies festos: qui tamen magnifica in populo gesserunt. Quartò ne Abrahamo quidem ipsi celebratum diem aliquem festum legimus, qui tamen erat Pater credentium. Quintò in Actis legimus Paulum & Barnabã lacerasse vestes suas, quum conaretur Idololatricus sacerdos iis tanquã diis quibusdam sacra facere. Act. 14. 14. Quid quęso nunc facerent si reviviscerent ac viderent in honorem suum celebrari festos dies, tam solennes, & eos quidem annuos? Ex his concludimus, & horum quoque dierum celebrationem superstitiosam esse ac Idololatricam. Reliquum iam est vt postremò de iis dicamus qui ab hominibus instituti sunt in honorem Dei & Christi ipsius. De his dico paucis. Quis requisivit ista è manu hominum? Vt Idololatricum est aliquid colere tanquam Deum, præter vnum verum Deum: Ita Idololatricum est Deum colere alio modo quam ipse

præcepit. Hæc paucis est sententia nostra de diebus festis consentiens sententiæ optimè reformatarum Ecclesiarum. Hîc postremò observo ex hoc loco & textu, quod sit ingenium falsorum doctorum & hæreticorum: ferè sese occupant in adiaphoris, nugis & tricis, statuentes in iis necessarium aliquem Dei cultum, prætermittentes interea eum qui necessarius est, et ea leviora existimantes, in quibus est positus necessarius Dei cultus.

Quæ sunt vmbræ) Hæc alia ratio est admonitionis, à natura & definitione ceremoniarum legalium; Nihil aliud sunt quàm vmbra rerum futurarum : Nemo autem condemnandus est propter vmbram : Ergo, &c. Nota igitur; Censura falsorum doctorum est de vmbris; absoluunt propter vmbras, condemnant propter vmbras: Quotquot observant ceremonias à se præscriptas, eos in cælos subvehunt: Qui verò non observant, eos in inferos continuò detrudunt : alia grauiora & necessaria prętermittũt. Sed expẽdenda verba. Vmbram vocat, non corpus, non rem, sed vmbram corporis, & rerum non præsentium, sed futurarum: Nam vmbra præcedit, corpus autem sequitur. Vt si quis oriente sole

sole est versus occidentem iam vmbra præcedit versus occidentem: corpus pone sequitur. Quod si vmbra sit rerum futurarum, sequitur ergo vbi res præsentes fiunt iam cessare vmbram, & in nihilum redactam esse. Hic primùm observa, quæ olim fuerit Iudæorum conditio: Non habuerunt corpus, quomodò ipsum nunc præsens habemus nos, sed vmbram sunt amplexi: servati sunt tamen, quia in vmbra præsenti, corpus futurum sunt simul amplexi, & sperarunt Christum venturũ. Quotquot autem ex iis non sunt amplexi in vmbra corpus ipsum futurũ, illi per vmbram non sunt servati. Vel sola hæc comparatio Iudæorum & nostri, commendat nobis gratiam eam in qua stamus, quam nunquam satis possumus prædicare. Deinde observa quàm efficax fuerit etiã vmbra Christi venturi ad consolationẽ & salutem iam inde à principio, ad ipsius vsque adventum. Quod quidem sic intelligi volo, vt vmbra non fuerit à corpore eam sequente separata. Quod si Christus in vmbra sua tam fuerit efficax, quàm efficacem eum nunc oportet esse in corpore: Postremò observa istorum falsorum doctorum stultitiã. Nam post Christi, hoc est,

corporis ipsius manifestationem evanuit vmbra, neque fuit ampliùs: præsente enim corpore non est iam vmbra ibi vbi est corpus: & tamen hi commendant vmbram Colossensibus: Commendant igitur quod non fuit omninò. Quod si vmbram cum corpore præsente commendasse eos putas, hoc non minùs fatuum: Nam non magis possunt vmbra & corpus simul consistere, quàm lux & tenebræ: Vt videas doctrinam istorum nihil esse nisi vmbram & rem vanissimam. *At corpus est*) Occupatio: Quum vmbra sit rerum futurarum, cuius demùm est ipsum corpus? Respondet: Corpus est Christi, hoc est, corpus illud quod tanto tempore est adumbratum non est alius cuiusquam rei futuræ & adumbratæ, quàm Christi, et solius quidem Christi. Nota primùm: Nullum vnquam fuit religionis subiectum, nullum vnquam fundamentum fidei, nisi Christus, & is quidem, vel in vmbra, vel in corpore. In vmbra quidem ante ipsius manifestationem in carne: In corpore verò post manifestationem; Fundamentum nemo potest aliud ponere præter id quod positum est, nempe Christus. 1. Cor. 3. 11. Iesus Christus heri & hodie idem est in secula. Heb.

13

13.8. Is igitur religioſus & pius animus definiendus eſt ſolus, qui occupatur in Chriſto, in ipſius incarnatione, paſsione, glorificatione, & benedictionibus illis quæ ab ipſo ad nos perveniunt. Paul. 1. Timoth. 3.16. poſtquam dixit, Sine controverſia magnum eſſe pietatis myſterium, ſtatim ſubiecit myſterii illius definitionem quandam ex partibus ſuis: Deus conſpicuus factus eſt in carne, iuſtificatus eſt in Spiritu, conſpectus eſt ab Angelis, &c. Quibus quidem verbis voluit pietatem & pium hominem verſari & occupari circa Chriſtum ipſiuſque illud myſterium iam revelatum. Deinde obſerva quod corpus dicat eſſe Chriſti: Ex quo ſequitur ſoliditatem in Chriſto eſſe ſummam, corpus enim eſt ſolida ſubſtantia, omnibus dimenſionibus ſuis abſoluta, longitudine, latitudine, profunditate, altitudine. Sed hanc ſoliditatem Chriſti ſolus pius animus ſentit ac percipit, hoc eſt, is ſolus qui habet ſpiritualem ſenſum. Qui autem non habet niſi corporalem hunc & craſſum ſenſum, is non percipit illam Chriſti ſoliditatem: neque unquam ipſe efficitur ſolido animo: Nam ſolus Chriſtus eſt cum ipſius gratia, qui inhabitans in cor-

corde, cor in quo habitat consolidat, ac stabilit: secus profectò non tam corporeum quid ac solidum est, quàm superficiarum & leuiculum. Postremò hîc observa, Religiosi & pii hominis contemplationem versari in re omnium solidissima: Putant qui toti occupati sunt in terrestribus hisce & mundanis, se seriò ac solidè esse solos occupatos: Piorum autem contemplationes & occupationes frivolas, vanas ac stultas, putant. Sed res ipsa tandem declarabit eos qui cum Paulo spectarunt in hac vita, non ea quę cernuntur, sed ea quę non cernuntur. 2. Cor. 4. 18. eos (inquam) solos seriò ac solidè occupatos fuisse, cum pereuntibus iis, quę nunc cernuntur, æterna futura sint ea quę non cernuntur, ipsique vnà cum iis futuri æterni.

18 *Nullus voluntarius moderator de vobis statuat ex subiectione & cultu Angelorum* sese *ingerens in ea quæ non vidit, & temerè turgens carnis suæ sensu.*

19 *Neque obtinens caput, ex quo totum corpus per commissuras & compages suppeditatum & compactum, augescit Dei augmento.*

Nul-

Nullus voluntarius moderator) Pergit in admonitione: Duo erant traditionum humanarum genera, de quibus vitandis eos admonuit. In primo genere erant ceremoniæ Iudaicæ, quæ post Christi adventum abolitæ sunt, ac proinde renovandæ non erant: renovatæ autem evaserunt doctrina & traditiones non Dei, sed hominum. In secundo genere erant traditiones quæ nullo vnquam tempore à Deo ordinatæ sunt ac institutæ sed ab hominibus dumtaxat inventæ fuerunt: In quo genere est illa traditio de cultu Angelorum. Primùm in genere admonuit vt caverent sibi ab vtroque genere, suprà versu 8. Deinde admonuit caverent sibi à ceremoniis Iudaicis de cibo, potu, &c. suprà vers. 16. Nunc admonet caveant sibi à secundo genere, nominatim verò ea traditione, quæ est de cultu Angelorum. Verbum quo vtitur significat moderatoris partes sibi sumere: Neque id tantum, sed contra ipsos, in ipsorum perniciem eas partes sibi sumere: Id enim κατα in verbo composito καταβραβευειν significat. De verbo hoc primùm observo: Vsus est Apostolus in exprimendis actionibus Pseudoapo-

doapostolorum variis appellationibus, & verbis : Primùm verbo deprædandi: Secundò, verbo condemnandi, tertiò, verbo iudicandi siue moderand, singula autem ex his actionem aliquam malam & pernicioſam ſignificant, vt ea re indicetur nullam eſſe actionem malam ac pernicioſam, quam homo in hominem excercere poteſt, quam non exerceat falſus Doctor & Sophiſta in homines . Quid enim eſt quod homo in hominem facere poteſt corporaliter, quod non faciat falſus Doctor & hæreticus ſpiritualiter ? Eſt qui alterum tanquam prædam abigit : Similiter falſus Doctor deprędatur hominum animas. Eſt qui alterum condemnat, ſimiliter falſus Doctor conſcientiam condemnat. Eſt denique qui in alterum ſibi iudicis partes ſumit; id ipſum facit falſus Doctor. Et hæc quidem omnia facit eo maiori cum hominum malo & damno, quod faciat ea ſpiritualiter : Auſim enim affirmare nullum vnquam in terris tyrannum extitiſſe, qui plures mortalium perdiderit, quàm Papa: Imò verò non eſſe tam mala morte perditos vllos à quoquam tyrannorum, quàm ab ipſo. Obſervo deinde ex hoc ipſo verbo καταβραβιυειν hæri-

ticum

ticum hominem & deceptorem quemque ingenio esse ambitioso: Affectat enim in cunctos mortales dominatum, non quidem ipsorum bono, sed malo; contra ipsos, non pro ipsis. Parum referret si dominatum tantùm in corpora & bona appeteret, sed cum in conscientias hominum affectet dominatum, id nequaquam est tolerabile: eo enim perniciosior est eius Dominatus, quòd in hominum conscientias sit. *Voluntarius*) Hic modus est moderationis & gubernationis falsi Doctoris. Est autē non ex Dei verbo & voluntate, sed ex ipsius voluntate ac libidine. Nota igitur non tantùm ambitiosum esse falsum Doctorem quemq;, sed & tyrannum qui quęrat in homines imperium exercere, non ex vlla lege Dei, sed ex suo ipsius arbitratu, id quod proprium est tyranni. Tyrannis autem eo perniciosior est, quod in hominum conscientias exerceatur. *In submissione*) Hactenus de moderatione ipsius, ac de moderationis forma, quę arbitraria est: Nunc de ipsius Doctrina, quam iis proponit, in quos tyrannicum suum imperium exercet, & quibus pro libidine dominatur. Primum caput doctrinę est de submissione animi, humilitate ac modestia

destia . Oportet (inquit) submisso esse animo. Pulchra quidē prefatio et doctrinę caput generale, quo nullum est aliud verius: vt discas nullū esse qui magis pulchrè præfetur, magis verè in genere loquatur sepenumerò, quàm falsus Doctor & Sophista. Ferè autem exorditur à doctrina humilitatis, quæ maximè popularis est: interea autē hypocrita simulat vultu, voce, vestitu, omnibus denique modis, eam animi submissionem & humilitatem, qua videatur tibi homo sanctissimo esse. Satanas enim transformatur in Angelum lucis. 2. Cor. 11. 14. Sed audi quod sequitur. *Et cultu Angelorum*) Hoc infert Sophista ex generali illo præmisso. Et quomodo? Postquàm enim rem egregiam ac prę clarā esse submissionem animi docuit, tum subsumit, At humilitatis est non recta ad Deum accedere (hoc enim arrogantię est) sed vti Angelis intercessoribus & mediatoribus, ac proinde eos colere, ad eos preces dirigere, ergo colendi Angeli : Vt hoc paucis attingam, falsum est quod subsumit, ac proinde conclusio falsa. Nota igitur, quo tendat illa præfatio falsi doctoris, tam pulchra scilicet ac popularis: nempe, ad conclusionem turpissimam. Et illud genera-

le

le tam verum ad ſpeciale falſiſsimũ. Quare oportet eum tum maximè ſuſpectum habere, cum in genere pulcherrimè in ſpeciem præfatur. Oportet tum minimè omnium credere Papiſtę, quum incipit concionari in genere de virtutibus, præſertim humilitate, animique ſubmiſsione. Ex generali enim doctrinâ vera inferet ſpecialẽ falſam: Ex generali humilitatis doctrina inferet ſtatim, vel Angelorum cultum, vel ſanctorum invocationẽ, vel denique dubitationem de fauore Dei & ſalute ęterna hoc enim preſumere eſt (inquiunt) nimiũ cõfidere diuinę gratię, ac in Chriſto miſericordię. Vt enim Dei propriũ eſt ex tenebris lucẽ educere, ita diaboli eſt tenebras ex luce educere. Nota hîc rurſus hæreſin illã de cultu Angelorũ ſatis antiquã eſſe, & Apoſtolis ipſis coętaneã, vt & illud hæreticę concluſionis argumentum à ſubmiſsione & humilitate: Nam hoc eſt preęcipuũ Papiſtarum argumentum, quod hodierno die in ore habent dum conantur aſtruere, vel cultum Angelorum, vel invocationẽ ſanctorũ; vt non immeritò commendetur Papiſtica doctrina ab antiquitate, ſi modò hæreſin cõmendet antiquitas. *Seſe ingerens*) Hactenus de falſo iſto doctrinæ capite, quod

destia . Oportet (inquit) submisso esse animo. Pulchra quidē prefatio et doctrinę caput generale, quo nullum est aliud verius: vt discas nullū esse qui magis pulchrè præfetur, magis verè in genere loquatur sepenumerò, quàm falsus Doctor & Sophista. Ferè autem exorditur à doctrina humilitatis, quæ maximè popularis est: interea autē hypocrita simulat vultu, voce, vestitu, omnibus denique modis, eam animi submissionem & humilitatem, qua videatur tibi homo sanctissimo esse. Satanas enim transformatur in Angelum lucis. 2. Cor. 11. 14. Sed audi quod sequitur. *Et cultu Angelorum*) Hoc infert Sophista ex generali illo præmisso. Et quomodo? Postquàm enim rem egregiam ac preclarā esse submissionem animi docuit, tum subsumit, At humilitatis est non recta ad Deum accedere (hoc enim arrogantię est) sed vti Angelis intercessoribus & mediatoribus, ac proinde eos colere, ad eos preces dirigere, ergo colendi Angeli : Vt hoc paucis attingam, falsum est quod subsumit, ac proinde conclusio falsa. Nota igitur, quo tendat illa præfatio falsi doctoris, tam pulchra scilicet ac popularis: nempe, ad conclusionem turpissimam. Et illud generale

le tam verum ad ſpeciale falſiſsimũ. Quare oportet eum tum maximè ſuſpectum habere, cum in genere pulcherrimè in ſpeciem præfatur. Oportet tum minimè omnium credere Papiſtę, quum incipit concionari in genere de virtutibus, præſertim humilitate, animique ſubmiſsione. Ex generali enim doctrinâ vera inferet ſpecialẽ falſam: Ex generali humilitatis doctrina inferet ſtatim, vel Angelorum cultum, vel ſanctorum invocationẽ, vel denique dubitationem de fauore Dei & ſalute ęterna hoc enim pręſumere eſt (inquiunt) nimiũ cõfidere diuinę gratię, ac in Chriſto miſericordię. Vt enim Dei propriũ eſt ex tenebris lucẽ educere, ita diaboli eſt tenebras ex luce educere. Nota hîc rurſus hæreſin illã de cultu Angelorũ ſatis antiquã eſſe, & Apoſtolis ipſis coętaneã, vt & illud hæreticę concluſionis argumentum à ſubmiſsione & humilitate: Nam hoc eſt pręcipuũ Papiſtarum argumentum, quod hodierno die in ore habent dum conantur aſtruere, vel cultum Angelorum, vel invocationẽ ſanctorũ; vt non immeritò commendetur Papiſtica doctrina ab antiquitate, ſi modò hæreſin cõmendet antiquitas. *Seſe ingerens)* Hactenus de falſo iſto doctrinæ capite, quod

quod est de cultu Angelorum: Nunc eius refutationem et subversionē aggreditur Apostolus verbis sequentibus. Primum refutationis argumentum est his verbis, ab audacia eorum plusquam impudente: Pedem (inquit) inferunt, siue ingerunt se: Verbū significat alienę possessionis violentā invasionē & occupationē. *In ea quæ non vidit*) hoc est, quę oculis, vel corporis, vel etiā animi, nunquam inspexerunt, vt est illud de Angelorum actione in intercedendo pro nobis, & mediatoris partibus fungendo. Quando enim isti, vel hoc viderunt, vel videre potuerunt. Nefas enim est homini in hac vita istud videre. Nota igitur, hęreticum hominem & Sophistam impudenter audacem esse, dum tam confidenter loquitur de iis, quę nunquam vidit, nunquam audiuit, nunquam legit in scripturis sanctis: Dum de cęlis & inferis concionatur, non minori cum fiducia animi, quàm si cælos & inferos ipse oculis suis lustrasset: dum de Angelis cælestibus, eorum actionibus, quas ipse fingit, eorum hierarchia vniversa; dum de sanctis spiritibus, de eorum intercessione, & inspectione in speculo, quod vocant, trinitatis; hoc est, reflexo illo Dei lumine: dum de purga-

gatorio, de limbo Patrum, de cęteris denique inferni ſedibus omnib⁹, non minori cum fiducia verba facit, quàm ſi ipſe omnia hæc pręſens vidiſſet. Hæc audacia tam impudens longè abeſſe debet à veris doctoribus omnibus in affirmandis iis quę ipſi non certò noverunt; ſicuti et curioſitas in indagandis iis, quæ Deus non revelauit in verbo ſuo. *Et temerè turgens*) Hoc ſecundum eſt argumentū, quo damnat Idololatricam illam doctrinam de cultu Angelorum: Eſt autem argumentum à vana ſuperbia. Turgentem dicit quaſi vento inflatum; neque mirum: nam temerè & ſine cauſa turgentem dicit, hoc eſt, ſuperbum nulla de cauſa, vel elatum eius rei cauſa quam tamen non habet, putat autem falſò ſe habere. Quid autem hoc aliud eſt quàm vento inflari ac intumeſcere. Duo enim ſunt ſuperbię genera: Primum eſt, quo quis ſuperbit quum tamen nulla vera ac ſolida ſuperbiæ cauſa ac materia ſubſit: Secundū eſt quo quis ſuperbit aliqua de cauſa, habens nimirùm id cuius cauſa ſuperbit. Prioris generis exemplum eſt in illo Phariſęo, qui ſuperbiuit ob iuſtitiam eam quam tamē non habuit. Luc. 18. 10. et deinceps: Poſterius intelligit A-

postolus dum dicit. 1. Cor. 4. 7. Quis te discernit? Quid habes quod non acceperis? quod si etiã accepisti, quid gloriaris, vt qui non acceperis? Vtrumque genus perniciosum quidem est ei qui hoc malo laborat: licet qui posteriori genere laborat, aliis, iisdem illis rebus ob quas superbit, prodesse possit. Tum causam addit cur temerè at sine iusta causa superbiat, nempe, fallitur λογισμῳ ac discursu mentis suę, quę inaniter ac frivolè concludit ipsum habere, quod non habet: Superbum enim fallit mens sua: Sed qualis mens: nempe, carnalis, Mentem enim carnis vocat. Caro igitur mater est & origo omnis mali, & ex ea procedit hęretica doctrina. Caro enim gignit ratiocinationes vanas: Ratiocinationes vanę gignunt falsas in corde opiniones; falsę in corde opiniones inflant hominem: inflatus homo vento illo falsarum ac pernicioſarum opinionum, docet ac tradit falsam doctrinam. Quarè, vt non sis hæreticus ac falsus doctor, stude mortificationi carnis, & corruptionis etiam illius, quæ ipsam mentem hominis occupat. Ideò iubet Apostolus nos renovari spiritu mentis nostrę. Eph. 4. 23. De verbis hactenus. Nota hîc primùm. Falsus doctor, vt impuden-

denter audax est, ita temerè inflatus est, etiamsi fingat externam nescio quam humilitatis speciē, & de humilitate animiq; submissione multa tradat. Fit enim miris modis in anima, ait Augustinus ad Paulinū, vt de humilitate magis superbiat quis quàm si apertè superbiret. Deinde nota, falsa & hæretica doctrina cum superbia coniuncta est perpetuò: Nam nihil aliud est, quàm ventus ille fœtidꝰ quem eructat falsus Doctor è ventriculo inflato falsis & exitialibus opinionibus. *Neq; obtinens caput*) Hoc tertium est argumentū quo damnat falsum illud ac pernicioſū caput Doctrinæ de cultu Angelorū: Est autem ex eo quod non obtineat falsus Doctor caput Christum, non sit cum eo coniunctus, ac proinde non hauriat ex eo virtutem illam vividam, & succum illum vsque adeò suavem cælestis vitæ. Quod si enim Christo esset insitus, & experiretur eam quæ exipso manat virtutem ac efficacitatem, profectò nunquam Angelos pro mediatoribus coleret, neque pateretur inter Christum caput suum ac solum Mediatorem, & se tanquam membrum, Angelos tanquam Mediatores intervenire: id quod argumentum est separationis mem-

brorum à capite. Nota igitur, falsus doctor & hæreticus, vt est impudenter audax, & temerè superbus, ita est expers Christi: sciat omnia, sciat Angelos, sciat homines, non tamen Christum cognovit: nihil igitur scit. *Ex quo*) Sequitur descriptio capitis Christi, de quo proximè, idque in eum finem, vt videant quanto bono se privent, qui non obtinent illud caput. Describitur autem ex relatione ad corpus suum mysticum, & ex ipsius effectis, quæ ab ipso in corpus suum procedunt. *Ex quo*, inquit) Relatiuum hoc refert non caput, quod in Græco nomen fœmininum est, sed Christum, qui sub expresso capitis verbo intellectus est. Sed ad rem, verba hæc non tantum significant Christum efficientem esse causam sequentium effectorum in corpore suo, sed esse promptuarium quoddam, quò omnis gratia continetur, & è quo depromitur: Vt enim caput humanum est promptuarium è quo omnis virtus depromitur & derivatur in corpus sibi subiectum: Ita est de Christo capite mystico. Nam quod promptuarium sit omnia in se continens, ex præcedentibus satis conspicitur. In ipso omnis plenitudo inhabitat, inquit Apostolus, postquàm ipsum caput ap-

appellavit ſuprà cap.1. verſ. 18.19. tum cap.2.3. In quo (inquit) ſunt omnes theſauri ſapientiæ & cognitionis abſconditi, et poſteà verſ.9. In quo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter. Et nos in eo cõpleti ſum9, qui eſt caput omnis imperii ac poteſtatis. *Totũ corpus*) Nõ dicit in aliquã dũtaxat corporis partẽ deriuari virtutem capitis, ſed in totum corpus, ne vno quidem membro excepto: Vt enim virtus à capite humano deriuatur in totum corpus ſubiectum, inque omnia ac ſingula ipſius membra: Sic ſe res habet in capite Chriſto. Vnde 1. Cor. 12.7. Vnicuique datur declaratio Spiritus ad vtilitatem. Et Eph. 4.7. Vnicuique noſtrum data eſt gratia pro menſura doni Chriſti. Ecce ſingulis membris corporis gratiam dicit eſſe datam: Ex quo ſequitur caput Chriſtum, non tantùm gratia plenum, ſed admirabili gratiæ & benedictionum varietate, qui tam varia variis impertitur & ex ſeſe depromit. *Per commiſſuras & compages*) Quæ à capite Chriſto in totum corpus protenduntur, primùm omnium ſunt commiſſuræ quædam & compages. Quemadmodum enim à capite humano in corpus ſubiectum, quę primùm omnium protendun-

duntur ſunt nervi & vincula, quę per omnia corpori membra diffunduntur. Ita à capite Chriſto ad corpus, primùm quaſi nervi quidam deducuntur & propagantur ad omnia corporis membra: Sunt autem hi nominatim, Spiritus ſanctus, qui à capite Chriſto ad corpus deſcendit: Fides quam operatur Spiritus ſanctus in cordibus noſtris, & à nobis ad Chriſtum caput aſcendit: Charitas, quæ propago quædam eſt fidei, & porrigitur à membro in membrum, idque mutuò: Nam mutuum eſt charitatis vinculum inter membra. Spiritus autem inter caput & corpus non eſt mutuum vinculum, vt neque fidei, quę ad caput aſcendit, non autem viciſsim à capite ad corpus deſcendit. Quod autem hæc ſunt vincula ex Scripturis patet. De Spiritu enim dicitur, quod Chriſtus habitet in nobis per Spiritum: De fide, quod habitet in cordibus noſtris per fidem. Eph. 3. 17. De charitate quod vinculum ſit perfectionis. Coloſſ. 3. 14. Ex his vinculis vnumquodque toti corpori & omnibus membris commune eſt. Nam quæcunque demùm fuerint dona particularia & propria ſingulorum membrorum, oportet Spiritum ſanctum communem

nem esse omnibus, vt etiam fidem, & charitatem quibus nullum ex membris oportet destitui. *Suppeditatum*) Sequuntur effecta tria, quæ à capite ad corpus per commissuras illas & compages deriuantur: Primum est, quod per has commissuras & compages tanquam canales caput Christus suppeditet corpori omnẽ gratiam spiritualem, quemadmodum per neruos suppeditat caput humanum corpori vitam, motum, ac sensum: Ideoque Eph. 4. 16. vbi de eadem hac re sermo est, vocantur commissuræ ἐπιχορηγίας suppeditationis, hoc est, per quas suppeditatur corpori & singulis membris omnis gratia spiritualis, præsertim gratia spiritualis vitę, quam oportet suppeditari omnibus membris sine discrimine. Ex quo videmus nullam gratiam suppeditari corpori sine illis quæ diximus vinculis; Spiritu sancto, Fide in Christum, charitate in proximum. *Et compactum*) Hoc secundum est effectum, quod à capite per commissuras & compages illas ad corpus pervenit: Vt enim per nervos compinguntur membra corporis in vnum corpus: Ita per compages illas & cõmissuras spirituales cõpinguntur primũ membra cum capite, deinde mẽbra inter

ſeſe coaptantur. Verbū quo vtitur Apoſtol⁹ hoc loco non ſignificat vulgarem aliquam aut levem coniunctionē, ſed arctam, compoſitam, & compactā, ac proinde decorā ac ſpecioſam: Nam quod compoſitum eſt & compactum, decorum eſt ac ſpecioſum. Eph. 4. 16. congruentem illum membrorum ſitum magis expreſsit per verbum συναρμολογούμενον quod quidem ſignificat congruenter coagmentatum. Nihil enim eſt magis ſpecioſum quàm Chriſti illud corpus. Effectum hoc naturæ ordine prius eſt illo priori: nam coagmentatio membrorum præcedit ſuppeditationem: Primùm enim coagmentantur & compinguntur inter ſe membra, deinde ſic compactis ſuppeditatur ſpiritualis gratia: vt diſcant omnes nullam ſuppeditari à Chriſto capite gratiam, iis qui non ſunt in illa ſanctorum communione, & cum Chriſto κοινωνία. *Auxeſcit*) Hoc tertium eſt effectū quod illa duo præcedentia naturę ordine ſequitur: Poſt illam enim coagmentationem & ſuppeditationem, ſequitur incrementū corporis, tam naturalis, quàm ſpiritualis. Incrementum hoc, membrorum eſt ſingulorum primùm, deinde totius corporis. De incremento vtriuſq; & membro-

brorum & corporis, deque eius ratione, vide Eph. 4. 16. Vbi dicit membra crescere secundum mensuram vniuscuiusq; membri, hoc est, pro mensura doni certi, & gratia speciali, quæ data est vnicuique membro. Quod si enim incrementum membri vnius alicuius esset secundum omnem gratiam, tum profectò membrum evaderet totũ corpus; Corporis enim totius incrementum hoc proprium est. Ideóque subiungit Paulus eodem loco Eph. 4. 16. corpus incrementum capere quod corpori conveniens est, hoc est, incrementum secundum omnem gratiam: dum enim singula in singulis crescunt, totum corpus crescit in omnibus gratiis & donis. *Dei augmento)* Incrementum siue augmentum illud quod dixit, definit incrementum Dei, hoc est, quod à Deo fit. Deus enim est qui dat incrementum. 1. Cor. 3. 7. Vt enim à Deo suppeditatur gratia illa quę accretionis est materia: Ita meritò incrementum vocatur Dei. Videtur hîc oppositio quædam esse inter incrementum hoc Dei, quod est in iis qui coniuncti sunt cum capite Christo, & inflationem illam inanem (de qua paulò antè loquutus est) Pseudoapostolorum, qui non obtinent

ca-

caput. Vt enim ii qui non sunt coniuncti cum capite Christo non crescunt, sed inflantur ac turgescunt; sic ii qui vniuntur cum illo capite virtute capitis sui solidum capiunt incrementum. Non dixerim equidem Papisticam illam Ecclesiã, quæ tam longè lateq; patet, crescere, sed inflari ac turgescere, vt quę non obtineat caput Christum, sed caput Antichristum, à quo in corpus ac singula membra necesse est derivetur venenum illud quod totum corpus turgidum ac inflatum reddat.

20 *Itaque si mortui cum Christo, liberi estis ab elementis mundi, quid vt viuentes in mundo, ritibus oneramini,*

21 *Ne attigeris, neque gustaris, neque contrectaris?*

Itaque si mortui cum Christo) Hactenus digressio fuit in descriptionem quandam Christi capitis: Nunc redit ad admonitionem, simulque ad ritus Iudaicos: Toto enim hoc loco nunc admonet vt caveant sibi à ritibus Iudaicis, qui iam post Christum exhibitum evaserunt quasi humanæ quædam traditiones: nunc verò monet vt caveant sibi à dogmatibns quæ nunquã à deo tradita sunt, in quibus erat illud dogma de cultu Angelorũ. Monet igitur hoc loco

loco ne onerentur dogmatibus & ritibus Iudaicis: argumentū ex præcedentibus repetitum eſt, quibus dictū eſt conſepultos eos eſſe cum eo per baptiſmum, cap. 2. 12. Conſepulti enim mortui ſunt: Mortui eſtis cum Chriſto, &c. Ergo ne oneremini ritibus. Hanc igitur eorū conditionem indicat eſſe, quod mortui ſint. Obſerva igitur, quotquot in Chriſto ſunt, in morte ſunt. Videtur quidem hæc durior eſſe conditio: Sed audi genus mortis; primò mortui ſunt cum Chriſto, ergo Chriſtū mortis habent ſocium, quo beatior eſt eorū mors. Cum Chriſto mortuum eſſe ſignificat prætereà virtute mortis Chriſti mortuū eſſe, quod nihil aliud eſt, quàm peccatum mortuum eſſe: Nam mors Chriſti occidit, non hominem ipſum, ſed veterem hominem. Rom. 6 6. Illud ſcientes veterē hominem cum eo crucifixū eſſe. Quare mortem hanc bis oportet beatā eſſe. Sed audi ampliùs quod dicitur in mortis huius deſcriptione. Ab elemētis mundi mortui eſtis (inquit) hoc eſt à craſsis illis & mundanis Iudęorū elemētis & quaſi rudimentis: Elementa mundi opponit cultui ſpirituali & veritati, quæ in Chriſto eſt. Hæc verba ſignificant cum morte illa coniunctā eſſe libertatem, qua

qui

qui cum Christo mortui sunt, liberati sunt à lege, peccato, et condemnatione. Ergo ter beatam oportet hanc mortem esse, quæ, vt dixi, non tam ipsius hominis est, quàm veteris hominis, et peccati à quo liberamur per Christi mortem et crucem. Vnde Rom. 7.6. Nunc autẽ liberi sumus à lege, mortuo eo in quo detinebamur, nempe peccato, quo detinemur et constringimur tanquã vinculo aliquo, quodque legis virtus esse dicitur. 1. Cor. 15.56. De argumento hactenus & antecedente: consequens est per interrogationem cum indignatione: quo significat rem esse summè indignam, eos qui mortui sunt cum Christo, ac proinde liberati à ritibus illis Iudaicis, eos (inquam) onerari illis ritibus. Ritus enim hoc loco Iudaicos intelligo, & si qui prętereà sunt qui inventi sunt ab hominibus; vt sunt homines ingenioſi ad excogitandos ritus omnis generis, & ad restringendam Christianam in rebus ἀδιαφόροις libertatem. Ratio sequelæ est his verbis, *Quid vt viuentes in mundo*) quasi dicat: Onerari ritibus postquàm iam mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid aliud est quàm eos qui iam mortui erant redire ad vitam. & quam illam quæso?

quæso? nempe eam quæ in mundo viuitur, hoc est, ad mundanam, legi & peccato obnoxiam. Miseri autem sunt qui beatam mortem cum vita infelici commutant. Quod faciunt qui hodierno die ad doctrinas hominum, quibus abundat Papistarum Ecclesia, desciscunt.

Ne attigeris, neque gustaris) Certa quadam specie rituum illustrat atque declarat admonitionem proximam de ritibus: Speeies est, ritus & dogma de cibis. Suprà hoc cap. vers. 16. cum de ritibus admoneret, primo loco meminit cibi & potus. Nequis vos damnet ob cibum aut potum: Nunc autem rursus cum de ritibus admonet, solam hanc speciem nominat: Quo significat materiam tentationis Satanæ esse in cibis potissimùm, qui conatur persuadere hominibus religionem esse in vsu cibi. Quasi verò necessitas quędam sit in vsu cibi, quum tamen cibus & potus in ἀδιαφορίᾳ sint, & in edendo, vel non edendo, simpliciter neque virtus, neque vitium sit: Peccetur aut ẽ, vel non peccetur, ratione circumstantiarum: vt si quis vel excedat modum, vel deficiat à modo in edendo: si quis edat cum offendiculo infirmi fratris. Sed cur quærit sibi Satan materiam tentati-

tati-

tationis in hoc genere potiſsimùm ? Reſpondeo;quia prætextus eſt in hoc genere maximè ſpecioſus,nempe mortificationis carnis,vt poſteà videbimꝰ. Prętereà quotidianus eſt ciborum vſus,ac proinde quotidiana tentationis materia : Paulus 1. Tim.4.1. & deinceps, quum prædiceret exorituros ſpiritus deceptores in Eccleſia qui doctrinam Dæmoniorum eſſent tradituri,nominavit falſæ doctrinę tradendę has duas ſpecies potiſsimùm , prohibitioem cibi,et prohibitionē matrimonii:nēpe, quia in his erat futurꝰ potiſsimùm prætextus mortificationis , & quotidianus eſt horū vſus. Temperantia in cibis ſervata, fateor,valet ad carnis mortificationē:Sed abſtinere ab hoc vel illo genere cibi, tanquam immundo,id nunquā efficiet mortificationem, quia hæc mortificationis ratio eſt,non quam ſanctificauit verbo ſuo, ſed quam verbo damnavit iam poſt exhibitum Chriſtum.Sed ad verba,per mimeſin quandam & indignationem profert falſum hoc dogma Pſeudoapoſtolorum de cibis.Ne attigeris,inquiunt,nempe,ne extremis quidem digitis: Ne guſtaveris, nempe, ne ſupremis quidem labris: Ne cōtrectaris,nempe craſsiùs & pleniùs to-

ta

ta manu, quaſi dixiſſent, nihil cum cibis illis negotii ſit quouis modo, ſiue leviori illo quidē, ſiue craſsiori. Mimeſis hæc cum indignatione coniuncta, admonet acerbitatem eſſe Spiritus adverſus hypocritas & falſos doctores. Deinde tam præciſa prohibitio falſorum doctorū admonet eos inimicos eſſe Deo, hominibus, adeoque etiā ipſi creaturæ mortuę & mutę, hoc eſt, ipſis cibis: Deo, inquā, inimici ſunt, qui eos bonos creavit primum. 1. Tim. 4. 4. Quicquid creavit Deus bonum eſt, nec quidquam reiiciendū eſt &c. Deinde in Chriſto ſanctificavit; Tertio dedit quibuſvis in iis libertatē: Inimici ſunt hominibꝰ atque iniurii, quia auferunt iis eā, quam Deus dedit, libertatē, & laqueū cōſcientiis iniiciūt. Ipſis denique cibis ſunt inimici & iniurii, quia eos damnant tanquā impuros, quum tamen nihil ſit per ſe impurū. Rom. 14. 14 vt non ſit mirū ſi cibi ipſi vſū ſuū falſis iſtis doctoribus denegent. Poſtremò obſerva quàm præciſē & ſtrictè agant hypocritæ in ἀδιαφόροις & iis rebus, quarum vſū fecit Deus liberum hominibus: Contrà verò in neceſſariis quàm laxè agant & liberaliter, quarum vſum non fecit hominibus liberum. Paulus 2. Timoth. cap. 3. verſ. 8.

inter cæteras futuri Antichristi notas hanc vnam assignavit, quod restituturus sit, sesequæ oppositurus veritati. Vt scias vbi reperitur hæc oppositio & contradictio, ibi sedere Antichristum.

22 *Quæ omnia ipso vsu pereunt*, præscripta *ex mandatis & doctrinis hominum.*

23 *Quæ rationem quidem habent sapientiæ in cultu voluntario & submissione animi, & in eo quod corpori non parcant: non* tamen *vllius sunt pretij*, quum *ad ea* spectent *quibus farcitur caro.*

QVæ omnia ipso) Hoc versu refellit Apostolus dogma hoc de cibis falsum & impium: Argumentum primum est à corruptibili eorum natura. Simile argumentum est Apostoli. 1. Cor. 6. 13. Escæ ventri destinatę sunt, &, venter escis, Deus autē & hunc & eas abolebit. Corruptibilitatem hanc exaggerat & amplificat ex eo quod ipso vsu pereant, hoc est, citò ac celeriter. Omnia quidem terrestria ista, quorum vsus est in hac vita pereunt & absumuntur, sed non sine discrimine. Nam quędam sunt quę longiori tempore perdurant. Quod verò ad cibum & indumentum

tum ea statim ipso vsu consumuntur ac pereunt, præsertim cibus & potus. Significat igitur Apost. res istas esse vanissimas. Nota igitur, Religionem & pietatem non versari circa res adiaphoras & corruptibiles, & earum vsum simpliciter, sed circa res permanentes, stabiles, ac necessarias, earumque rerum vsum: verbi gratia, edere hunc cibum, abstinere ab illo, ad Religionem non spectat: sed religiosus & pius est, qui non habet Deum præter illum vnum verum ac viuum, qui non facit sibi sculptile, & cætera quæ mandantur à Deo in decalogo, in quo & hoc quoque præcipitur, vt circa cibum ac potum seruetur temperantia, quę pars quędam est cultus divini. De hac re Paul. Rom. 14. 17. Regnum Dei, hoc est, vera religio & pietas, non est esca, & potus, sed Iustitia, & pax, et gaudium per Spiritum sanctum. Adversarii tamen totam ferè religionem suam ponunt in corruptibilium harum rerum obseruatiunculis. *Præscripta ex mandatis*) Hoc secundum est refutationis argumentum, ex eo quod hoc dogma de cibis sit doctrina & mandatum hominum. Alludit ad illa Esaiæ verba cap. 29. 13. quem citat do-

minus Matthęi. 15.9. Frustrà me colunt docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum. Nota igitur, vt materia pietatis non est in corruptibilibus, sic regula pietatis non est doctrina vel mandatum humanum: neque religiosus dicendus est qui colit Deum secundum mandata hominum, verùm superstitiosus. Nota rursus, doctrinam hominum ac mandata ferè versari circa adiaphora & corruptibilia, non autem necessaria, vt cibos, dies, vestes, & id genus alia: Quia homines natura propendent ad religionem eam quæ in his cernitur, non autem in necessariis. Videas enim in his magis superstitiosos, quam invenias in necessariis religiosos.

Quæ rationem quidem) Hactenus fuit refutatio: Nunc occupat quod obiici potuit à falsis Apostolis. At ista quidem habent speciem ac rationem sapientiæ pietatis, religionis, præsertim quum hoc dogma sit cultus voluntarii, submissionis animi, denique castigationis corporis? Respondet Apostolus, primùm per concessionis speciem, deinde per correctionem, habere quidem speciem sapientię, sed tamen in se nullius esse pretii. Observa primùm fal-

sos

sos doctores contentos esse specie vel colore quodam veri, quoties sua dogmata obtrudunt hominibus. Neque mirum, Sophistæ enim sunt: Sed illud dolendum, quod mundum capiant falsa specie: Quæ quidem res arguit vanitatem hominum per naturam, qui rebus vanis & simulachris rerum verarum ac bonarum tam citò & facilè decipise patiuntur. Species autem hæ siue colores quibus imponunt mundo, vt de iis in genere dicam aliquid priusquam ad partes accedamus, duum generum sunt. Primò sunt colores in se quidem veri ac boni, sed malè accommodati sunt ad falsum dogma: Secundò sunt colores in se falsi ac mali. *In cultu voluntario)* Hæc prima species siue color primus ἐθελοθρησκεία hoc est, cultus non à Deo præscriptus, sed à voluntate ipsius hominis profectus: Sic autem accommodatur ad falsum dogma de abstinentia à cibis, tanquam rebus impuris. Dogma de voluntario cultu est sapientiæ & pietatis dogma: Atqui dogma de abstinentia à cibo est dogma de voluntario cultu. Ergo est dogma sapientiæ; Respondeo ad propositionem argumenti, & dico speciem hanc, siue colorem hunc falsi esse.

Neque enim placet Deo ἐθελοθρησκεία qui tantùm accipit cultum à seipso præscriptum, voluntarium quidem illum, sed ita voluntarium vt voluntas nostra comes sit voluntatis Dei, vel potiùs sequatur præscriptum voluntatis ipsius. *Et submissione*) Hæc secunda species, humilitas siue submissio animi: In hunc autem modum applicatur ad falsum illud dogma de abstinentia à cibo. Dogma humilitatis, siue dogma quod facit ad interiorem animi submissionem, est dogma sapientiæ: At dogma istud de abstinentia facit ad interiorem animi submissionem & humiliat nos interius: Ergo est dogma sapientiæ? Respondeo: Colorem quidem esse istum in se bonum ac verum. Ideoque concedo propositionem: Sed dico malè applicatum esse hunc colorem in se laudabilem ad dogma illud tam impurum, vt si colorem aliquem laudabilem stercori aut rei alicui vilissimæ superinducas: Ideoq; nego assumptionem: Non enim ad veram humiliationem & submissionem animi facit quidquam, quod à Deo non sit præscriptum & sanctificatum ipsius verbo. *Et in eo quod*) Hæc tertia species siue color tertius depictus corporis, siue corporis castiga-

tio

tio: Vt enim superior fuit animi submissio, hoc est, effectum in animo: Ita videtur hoc esse in corpore & carne, hoc est, crassiore parte nostri, effectum: Accommodatur autem hic color in hunc modum: Dogma quod facit ad corporis castigationem est dogma sapientiæ: At hoc dogma facit ad corporis castigationem. Ergo est dogma sapientię. Hic quidē verus est color in se & per se, sed malè ac perperam applicatus est ad hoc subiectum, & dogma de abstinentia à cibis quibusdam, tanquā impuris. Ideoq; assumptionē nego. Non enim (vt dixi paulò antè) quidquam est quod facit ad mortificationem carnis, nisi id quod à Deo est præscriptum, & sanctificatum. Ex his videmus (vt addam hoc postremò) non deesse falsis doctoribus rationes quasdam satis speciosas, quibus falsissimum ac fœdissimum quodque dogma suum conantur probare. Quamobrem nemo falli se patiatur speciosis argumētis, sed examinet & exploret diligentiùs eorum rationes, quibꝰ profectò omnibus aliquid fraudis ac falsi subest, & vel falsæ sunt in se, vel falsò & fraudulēter applicatę sunt ad falsum dogma probandum. *Non tamen vlius*)

Hactenus fuit conceſsio: Sequitur his verbis correctio, qua reſpondet Paulus vno verbo, nullius eſſe pretii illud dogma eorum de abſtinentia à cibis quibuſdam, Qua quidem re innuit, nullam rationis ſpeciem efficere, vt dogma illud quod in ſe eſt impurum ac falſum, purum verumque evadat; Vt meritò, ſi cui non videatur verum eſſe dogma aliquod, ſuſpectas habeat rationes quaſcunque, etiam ſpecioſiſsimas. *Quum ad ea ſpectent*) Ratio cur nullius ſint precii à fine & vſu eorum, qui eſt ad farciendum carnem. Hinc ſequitur nullius eſſe pretii in negocio religionis ac pietatis. Nota igitur religionem aut pietatem non eſſe in iis rebus, quæ ad hanc vitam alendam & fovendam pertinent, non eſſe in cibo, non eſſe in potu, non eſſe in indumento, non deniq; in vlla re alia huiuſmodi; niſi dicas rectum vſum iſtarum rerum, in quo non nego eſſe religionem & pietatem. Nam nullum extat præceptum Dei de edendo vel non edendo hoc vel illud, de induendo vel non induendo hoc vel illud. Sed præceptum Dei eſt de modo ac ratione ſervanda, vt in aliis omnibus, ita in his actionibus. Religio autem & pietas in iis rebus & actionibus

pro-

propriè est, quæ ad alteram vitam pertinent, & spectant ad implendum animum, non autem ad farciendum carnem siue corpus. Quamobrem quisquis studet esse religiosus ac verè pius, is non terrestria ista, sed superna ac celestia quęrat & curet. Ad quod Apostolus occasione præsentis loci adhortatur capitis sequentis principio.

Argvment. Cap. III.

Hoc capite primùm sunt hortationes generales ad veram pietatem & vitæ sanctimoniam pertinentes, ad versum vsque 18. Deinde sunt speciales exhortationes quæ spectant ad certas & particulares hominum conditiones ad finem capitis.

Cap. III.

1 *Itaque si resurrexistis cum Christo, superna quærite, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens:*

2 *Supernæ curate, non terrestria.*

Itaque si resurrexistis.) Post traditam doctrinam, capite primo à vers. 12. ad vers. 23. Exhortatio fuit ad perseverantiam in doctrina tradita, simulque admonitio ut sibi caverent à traditionibus humanis & falsa doctrina, partim capite primo reliquo, partim toto secundo. Nunc in quinta Epistolæ parte accedit ad hortationes quæ sanctam vitam & Christianos mores respiciunt, quæ partim generales sunt, partim speciales. Primùm autem hortatur ad veram pietatem & sanctitatem. Occasio exhortationis huius sumpta est ex proximo sermone de cibis & rebus terrenis ac corruptibilibus, in quibus non est sita religio, non pietas: hortatur ergo ad ea in quibus verè posita est religio & pietas: nempe superna & cælestia. Hortatio itaque est ad superna. Hortatur autem primùm ad quærendum superna, deinde ad sapiendum superna. Commune argumentum habetur primis statim verbis, ex superioribus quoque repetitum, cum dicit (Itaque si resurrexistis, &c.) Resurrectionem ad vitam illam spiritualem intelligit: hæc resurrectio est cum Christo, & virtute Christi resurgentis. Superiori capite dixit mortuos ipsos fuisse cum Christo:

seo: Nunc resurrexisse eos cum Christo dicit. Quo significat mutato Christo, nos vnà cum eo mutari, moriente Christo, nos mori: reviuiscente Christo, nos reuiviscere. Admirabilis est ista mutatio & qualis non reperitur in aliis rebus vllis. Quis enim homo est, qui quum ipse mutatur aut alteratur, nos simul mutat: quum moritur, trahit nos ad mortem secum? quum vivit ad vitam excitat. Quare oportet in Christo, ipsius morte, ipsius resurrectione, vim esse ac virtutem planè admirabilem. Oportet hominem eum esse, quia non nisi per humanam naturam deriuatur in nos ea virtus: oportet plusquam hominem esse; oportet sanctum hominem esse & immunem à quavis vel peccati labecula: Oportet Deum esse; Nam ea virtus est Dei: Oportet in κοινωνία nobiscum esse, secus ad nos non potest ea virtus pervenire. Oportet eum maritum esse nostrum, nos autem sponsas ipsius, (κοινωνίαν enim eius nobiscum sic significat Scriptura) oportet plusquam maritum esse: Non enim moriente marito statim moritur vxor, aut vivente eo vivit vxor. Oportet caput esse nostrum, Atque ea est figura Christi aptissima, moriente enim capite intermoritur

ritur corpus: viuente capite, viuit corpus. Oportet denique pluſquam vulgare caput eſſe: Nam & arctior eſt κοινωνία Chriſti & noſtri, quàm eſt humani capitis & corporis, & maior virtus è Chriſto in nos derivatur, quàm à capite humano in corpus ſibi ſubiectum. Vt quæ dico concludam: Hæc Chriſti in nobis effecta, mortis, inquam, & vitę communis, arguunt & ſingularem quandam in ipſo virtutem eſſe, imò Dei potentiam, & ipſius nobiſcum coniunctionem & cognationem maiorem quàm eſt alius cuiuſvis creaturę & noſtri: Imò non tam affine eſſe nobis ipſum hoc caput noſtrum corporeum, quam ſit Chriſtus. Hęc placuit de his effectis paucis explicare. *Superna quærite*) Hactenus fuit exhortationis argumentum. Sequitur exhortatio ipſa, quæ eſt ad ſuperna, ac primùm quidem quęrenda, *Quærite*, inquit) Oportet vitam quamcunque actionem ſuam aliquam habere. Corporalis ac terrena iſta vita actionem ſuam habet. Annon igitur oportet cæleſtem illam ad quam cum Chriſto reſurreximus actionem habere ſuam? & quam illam? *Quærite*, inquit, Vnaquęque vita quęrit quę ad ſe alendum & tolerandum

por-

pertinet. Corporalis ista quærit sedulò quę ad se alendam inseruiunt. Annon igitur cęlestis illa, ad quam cum Christo resurreximus, quęreret quæ ad se tolerandam pertinent? Sed quę sunt quęrenda; Superna, inquit, hoc est, cęlestia, benedictiones spirituales, quę ἐν ἐπουρανίοις sunt, vt loquitur Eph. cap. 1. vers. 3. Nam omnes benedictiones spirituales primùm in cęlestibus locis sunt in Christo, qui, quoad corporalem ipsius prędentiam, in cęlis agit: Deinde è cęlis ad nos defluunt, & demittuntur. Ergo cęlestia & superna quęrenda, vtpote cęlesti vitę competentia & congruentia. Qualis enim vita est, talia sunt quęrenda ad sustinendam illam vitam: Terrenę vitæ sustinendæ ac alendę quęrenda sunt terrena: Cęlesti vitę sustentandę quærenda sunt cælestia: Christus postquam resurrexit ad cęlestem illam vitam, non amplius quæsivit sibi cibum, potum, vestimentum, & cętera id genus terrena, sed cęlestia duntaxat, & in Cęlos animo suo ascendit priùs quàm corpore. Quod si igitur nos cum eo ad cęlestem illam vitam resurreximus, Annon idem nobis aliquo certè modo faciendum.

Hęc

Hęc de verbis. Ex tota argumentatione Apoſtoli obſeruo, vel ſolam hanc vitam, ad quam vnà cum Chriſto reſurreximus, debere nos ad cęleſtia quęrenda prouocare, & erigere ſupra iſta terrena ad aliquem certè modum. Quod ſi autem non eriginur vllo modo ſupra iſta terrèna, profectò id planè arguit ne ſcintillam quidem eius vitę in nobis ineſſe. *Vbi Chriſtus*) Hoc argumentum exhortationis eſt ſecundum à loco, in quo Chriſtus ſitus eſt, ſumptum. Chriſtus quoad corporalem ſuam preſentiam in cælis ac cæleſtibus locis degit: Ergo quærite ſuperna. Ex hoc argumento obſeruo, vel ſolam Chriſti præſentiam debere nos incitare ad cælos & cęleſtia quærenda. Quod ſi enim is amor eſſet illius, qui eſſe deberet preſentię, profectò loci in quo degit eſſet deſideriũ. Qui enim in terris nobis ſunt chari admodum, propter ipſos vel locus in quo habitant nobis charus eſt: Imò terra ipſa quam pedibus calcant chara eſt. Eodem planè modo, ſi tã charus eſſet nobis Chriſtus ipſe, quàm charum eum eſſe oporteret, profectò eius gratia, locus ipſius in quo habitat eſſet charus, & ad locum illũ aſpiraremus totis animis: ſed vtinam conſtringeret

ret nos amor ille Christi, qui olim Apostolum hunc constrinxit. 2. Cor. 5. 14. Nam vita est, cæli sunt, gaudium est, pax est in amore Christi, cum cor resolvitur in eius amorem longè suauissimum. Precamur vt is qui amat nos det nobis vicissim vt ipsũ amemus. Hæc autem alienatio mentis nostræ & cordis nostri à cælis & cęlestibus, hęc mortis & resolutionis detestatio, quę in plerisque reperitur, satis arguit non esse illud, quod oportet, pręsentię Domini desiderium. *Ad dextram Dei*) Hoc exhortationis argumentum est tertium, à gloria ipsius, ad quam in cęlis agens evectus est. Hac enim metaphora significatur Christum, etiam quà homo est, elatum esse ad summam sublimitatem, & datum esse ipsi nomen supra omne nomen: Vt ad nomen Iesu omne genu se flectat cęlestium, ac terrestrium, & subterraneorum. Phil. 2. 9, 10. Argumentatio est. Christus in cęlis agens corpore & corporali pręsentia, non iam illic vivit vt servus, instar Angelorum, sed vt Dominus omnium: Ergo hæc Christi glorioſa conditio vel sola nos excitaret ad quęrendũ cęlos & superna, ad hoc vt tantę glorię spectaculo fruamur. Observa igitur ex hoc argumento tertio

nos

nos vel ſola Chriſti gloria, quam nunc in cælis obtinet, moveri oportere ad hoc vt deſideremus & quęramus cælos. Hoc autem tam frigidũ cęlorum deſiderium arguit frigere amorem glorię Domini. Hoc itaque argumentum, vt & ſuperius, poſtulat illum amorem Domini tanquam fundamentum, ſecus enim, neque prẽſentia Chriſti, neque gloria ipſius nos movebunt ad quærendum & expetendum cælos atque cæleſtia. Pręſupponit autem Apoſtolus hoc amoris Domini fundamentum, eique ſuperſtruit argumenta ſua. Quamobrem ad hoc vt nos movere poſſint argumenta Apoſtoli ad quęrenda ſuperna, quęramus primùm omnium ſenſum illum amoris Domini in cordibus noſtris, quòd ipſum, vt debemus, ſeriò amemus.

Superna curate) Hæc altera eſt exhortatio ad ſuperna, ſed ad ſuperna ſapienda & cognoſcenda: Hęc neceſſariò cum ſuperiori coniungenda eſt, imò ei vt cauſa eius anteponenda: Non enim poſſumus quęrere cęleſtia, niſi ſapiamus primùm & cognoſcamus ea. Fundata autẽ eſt & hæc quoque ſecunda exhortatio in illa vita ad quam cum Chriſto reſurreximus. Ergo

altera

altera vitæ cælestis actio ad quam hortatur, est sapere, sentire, & cognoscere, quæ vitæ cuiusque actio est vsque adeò necessaria, vt nisi vita quęcunque sapiat ea aliquo modo, quę ad ipsam tolerandam spectant, non possit ea consistere. Quare necesse est hæc vita, ad quam cum Christo resurreximus sapiat ea quę ad se tolerandam pertinent. Quæ autem sunt ea? Respondet Apostolus superna: vt enim terrenorum sapientia valet ad terrenam vitam tolerandā, sic sapientia cęlestium ad cælestem: quorum profectò nisi adsit sapientia aliqua, non potest cælestis vita consistere.

Non terrestria) Non satis habet persuadere sapientiam cęlestium, nisi simul dissuadeat sapientiam terrestrium: quo significat alteram alteri adeò contrariam esse, vt simul cohęrere ac consistere non queant. Intelligo autem sapientiam quę in rebus terrestribus tota est occupata: Permittit enim Paulus curam rerum terrestriū, quę non sit immodica, vt quis vxorem habeat, si modò sit vt non habens eam: vt quis fleat, si modò sit vt non flens: vt quis gaudeat, si modò sit vt non gaudens: vt quis emat si modò sit

vt

vt non obtinens: vt denique quis vtatur hoc mundo, si modò sit eo non abutens. 1. Cor. 7. 29. & deinceps. His enim verbis significat Paulus ista omnia Christiano homini parerga esse & obiter curanda, secus eorum cura ac sapientia non consistit cum cura ac sapientia rerum cælestiũ. Oportet enim tanquã famulã esse sapientiã istam terrestrium: at tanquam Dominam sapientiam illam cælestium, cui inserviat sapientia terrestrium.

3. *Nam mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

4. *Quando Christus vita illa nostra, patefactus fuerit, tum & vos cum eo patefietis gloriosi.*

Nam mortui estis). Sequuntur hoc versu duo argumenta: prius inservit proximę dissuasioni, posterius inservit superiori persuasioni. De priori vt dicam. Mortui estis, nempe, cum Christo. (Argumentum est ex superioribus repetitum:) Ergo ne sapite terrestria: Vt enim mortuus corporaliter, non amplius sapit aut curat terrestria & corporalia: Ita mortuus spiritualiter mundo & terrenis istis, non amplius debet sapere aut cu-

curare mundana & terena: Sed mors illa animæ ſpiritualis debet claudere oculum mentis ne nimis ſit affixus hiſce inferioribus, quemadmodum vita illa ſpiritualis animæ aperit oculum mentis ad hoc vt intentus ſit rebus ſpiritualibus et cæleſtibus.

Et vita veſtra) Hoc argumentum eſt ſuperiori perſuaſioni et exhortationi inſerviens, ſumptum à vita quę in cęlis nobis ſervatur abſcondita. In ſupernis eſt vita veſtra: Ergo ſapite ſuperna. Si conferas in vnum omnia quæ hactenus tractata ſunt ab initio huius capitis argumenta, invenies multa eſſe quæ nos invitent ad ſuperna quærenda et ſapienda. Hîc in terris ſunt mors et vita ſpiritualis, quæ nos ſurſum verſus propellunt. In cælis ſunt Chriſtus, Chriſti gloria et maieſtas: denique ipſa conſummata et perfecta gloria, quæ nos ad ſe ſurſum verſus trahunt quantis poſſunt viribus, adeò vt ſi quis tamen demergatur in terrenis ac inferioribus iſtis, ipſius pertinaciæ et indurationi adverſus tam multiplicem gratiam hoc ſit imputandum. Ea tamen eſt plurimorum, qui etiam in hac Evangelii luce viuunt, contumacia quam dixi. Sed verba ſingula expenda-

mus. Vitam intelligit consummatam illam, quam gloriam sequenti versu vocat: Hanc vitam absconditam dicit, quia nondum plenè patefacta est, & licet Filii Dei sumus, tamen nondum patefactum est quid erimus. 1. Ioh. cap. 3. vers. 2. Abscondita, inquam, est vita; primùm mundo: Nam sapientiam quam Deus præfinierat ante secula in gloriam nostram; nemo principum huius sæculi cognovit, &c. 1. Corinth. cap. 2. vers. 7. Deinde abscondita est ipsis Dei Filiis magna ex parte: Per fidem enim vivimus, non per aspectum. 2. Corinth. cap. 5. vers. 7. Absconditam dicit vitam cum Christo, hoc est, ibi vbi est Christus, nempe absconditus: Nam absconditum hîc intelligi Christum apparet ex versu sequenti, vbi dicit patefaciendum esse eum. Vbi autem abscondita sit vita, simul & Christus, docet, cum addit in Deo, qui cum ipse absconditus sit, & habitet lucem inaccessam. 1. Timoth. cap. 6. vers. 16. necesse est vita simul & Christus abscondantur. Nota igitur vitam nostram, Christum, Deum adhuc abscondi. In Christi primo adventu horum quidem revelatio facta est, atque etiamnum in Evangelio hęc revelantur:

sed

ſed tenuis eſt, & in ſpeculo duntaxat iſta revelatio, ſi cum futura illa multò clariſsima comparetur. Vide. 1. Cor. 12. 12. & 2. Cor. 3. 18. adeò tamen neceſſarius eſt hic ipſe intuitus in ſpeculo in hac mortali vita, vt niſi Chriſtum, vitam, Deum, in ſpeculo intueamur quantiſper hîc ſumus & ex illo intuitu capiamus voluptatem, neceſſe ſit in æternum priuemur futuro illo aſpectu longè iucundiſsimo ac ſuauiſsimo.

Quando Chriſtus) Occupatio eſt: Obiici enim potuit à Coloſſenſibus: Dicis vitam noſtram abſconditam eſſe. Quando demùm futurum eſt vt patefiat? Reſpondet, quando chriſtꝰ vita noſtra, &c. EX hac occupatione obſerva primùm: in iis qui vitã illam ſemel deguſtarunt deſiderium eſſe patefactionis illius vitæ plenæ ac perfectę, & quum audiũt abſconditã eſſe, anxiè quęrere eos de tempore revelationis ipſius futurę. Atque hoc eſt quod habet Paulus Rom. cap. 8. verſ. 23. Nos qui primitias Spiritus habemus ſuſpiramus apud noſipſos expectantes adoptionẽ noſtrã, redemptionẽ corporis noſtri: & 2. cor. 5. 4. Onerati ſuſpiramus in quo non cupimus

exiui, sed superindui, vt mortalitas absorbeatur à vita. Qui nihil quęrunt vel cogitant de vita illa perfectè revelanda, ii vitam illam nunquam ne primis quidem labiis degustarunt: Deinde obserua non priùs nos de vita consummanda quęrere, aut etiam de ea cogitare, quàm responsum reportemus aliquod saltem vitę patefaciendę & certam aliquam vitę & glorię promissionem audiamus, quę ipsa si fide recipiatur, facit vt exultemus gaudio ineffabili ac glorioso: Nequis sit qui putet Dei promissiones verba esse duntaxat otiosa & inefficacia. Sed ad ipsam promissionem veniamus. Vos, inquit, aliquando eum eo patefietis glorioſi. Tempus notatur & definitur ex patefactione Christi & glorię ipsius. *Quando Christus vita illa nostra, &c.* Ex hac temporis definitione obseruo vitam illam nostram sic pendere à Christo, & inde à mundo condito sit pependisse, vt ante Christi manifestationem in carne, vita nostra toto illo tempore manifestata non fuerit: post Christi verò manifestationem in carne, nostra quoque vita cœperit cum illo apparere. Denique quo tempore Christus in tota sua gloria conspi-

ſpiciendus eſt, in ſecundo nimirùm ſuo adventu, & vita noſtra cum eo ſit conſpicienda. Quod cum ita ſit, nobis perpetuò totis animis pendendum eſt à Chriſto Domino, & exſpectanda poſtrema illa ipſius patefactio. Non enim aliis promittit Paulus coronam Iuſtitiæ, quàm iis qui exſpectant illuſtrem illum ipſius adventum. 2. Tim. 4. 8. Rurſus obſerva: Primus locus hîc datur Chriſto ipſiuſque patefactioni ac gloriæ, ſecundus verò patefactioni vitæ noſtræ. Dicit enim vitam ac gloriam noſtram cum eo patefaciendam: non autem illum patefaciendum cum vita noſtra. Et verum quidem eſt Chriſtum in adventu ſuo rationē primo loco habiturum ſuæ ipſius gloriæ, ſecundo verò loco noſtræ vitæ. Ideò Paul. 2. Theſ. 1. 10. dicit; Cum venerit vt glorificetur in ſanctis ſuis, & admirandus fiat in fidelibus omnibus. Ergo ſancti glorificantur, vt ipſe in iis glorificetur: & glorificabuntur fideles omnes, vt ipſe in iis fiat admirandus. Quare ratio quidem vitæ noſtræ futuræ ſic habenda, vt tamen etiam vitæ præferamus illam Domini noſtri gloriam, ipſiuſque revelationem imprimis expetamus. Quod ſi prætulerimus gloriam Chriſti noſtræ ipſorum vitæ

& glorię, profectò æquis animis feremus gloriam noſtram tantiſper celari dum ipſius gloria, cuius longè maior ratio eſſe debet, manifeſtetur. *Vita illa noſtra*) Hac deſcriptiuncula Chriſti hîc inſerta continetur cauſa cur eo demùm tempore patefacienda ſit vita & gloria noſtra, quum Chriſtus patefiet: nam Chriſtus eſt vita noſtra: Quare neceſſe eſt, neque priùs, neque poſteriùs patefiat vita noſtra, quam patefit Chriſtus, qui eſt vita noſtra. Manifeſtatio enim gloriæ Chriſti & manifeſtatio vitæ noſtræ, duę res ſunt ſic coniunctæ, vt manifeſtata Chriſti gloria, neceſſe ſit pariter manifeſtari vitam noſtram. Notandum quod non dicit vitam noſtram eſſe ex Chriſto, vel per Chriſtum, ſed Chriſtū eſſe vitam noſtram: qua loquutione innuit nos non tam vivere vitam, quæ quidem ſit ex Chriſto & ſcaturiat ex fonte illo vitę, qui in ipſo eſt, diverſa tamen reipſa ſit ab ipſa illa Chriſti vita: quàm vivere ipſammet illam Chriſti vitam, ipſiuſque vitam & noſtram vnam eandemque re & numero eſſe: quemadmodum non eſt alia atque alia reipſa ac numero vita corporis atque capitis, ſed vna eademque re & numero vtriuſque vita, propter ſummam illam

lam & arctiſsimam coniunctionem capitis & corporis: Maior autem eſt & arctior coniunctio capitis Chriſti & noſtri: Quare maior ratio cur vna eademque ſit re ac numero vita noſtra ſpiritualis & Chriſti. Atque hinc eſt quod Paulus Galat. cap.2. verſ.20. non dicat quidem ſe per Chriſtum vivere, ſed dicat Chriſtum vivere in ſe. Quod ſi Chriſtus vivit in Paulo, quę quęſo eſt Pauli vita niſi ipſa illa Chriſti vita. Ideoque idem Apoſtolus.2.Corinth.cap.4. verſ. 10. dicit Chriſti vitam in ſe manifeſtam eſſe: & hoc eodem capite poſteà verſ.11. dicit Chriſtū eſſe omnia, & in omnibus. Quod ſi omnia ſit, vita eſt: quod ſi ſit in omnib9, vivit in omnibus. Vno verbo vita noſtra ſpiritualis nihil aliud eſt, quàm Chriſti vita nos irradians. *Tum & vos cum eo)* Notandum quod non dicat vitam noſtram cum ipſo patefaciendam, ſed noſipſos patefaciendos in gloria: Ex quo notamus primùm, tum demùm vitam noſtram patefieri, quum nos ea vivificamur ac glorificamur. Deinde Filios Dei abſcōdi, dum vita eorum abſconditur: Patefieri rurſus, quum vita eorum patefit. Non enim cognoſcuntur Filii Dei, niſi per ſtatum gloriæ.

Sunt quidem in ſtatu gratiæ in hac vita, ſed per eum non cognoſcuntur. At in aduentu Chriſti, quo tempore futuri ſunt in ſtatu glorię, per gloriam illam ſummè conſpicuam facilè dignoſcentur. Reuelatio autem glorię ipſorum pendet ex manifeſtatione gloriæ fratris primogeniti Ieſu Chriſti. Quamobrem Filii Dei perpetuò id precantur, Adueniat regnum tuum, hoc eſt, patefiat Chriſtus frater primogenitus, vt nos cum eo patefiamus glorioſi.

5 Mortificate igitur membra veſtra terreſtria, ſcortationem, impuritatem, molliciem, cupiditatem malam, & auaritiam, quæ eſt idololatria.

6 Ob quæ venit ira Dei in filios contumaces.

7 Quibus in vitiis & vos verſabamini quondam quum in iis viueretis.

Mortificate igitur membra) Ex proxima promiſsione vitæ futurę deducit ac colligit exhortationem tertiam; quę eſt ad mortificationem carnis: quaſi dicat, vos aliquando patefietis in gloria: Quare mortificate quantiſper hîc viuitis membra

bra veſtra terreſtria. Nota: vita illa futura poſtulat mortem peccati, & carnis mortificationem, ad quam promiſsiones vitæ nos debent incitare ac promovere. Nota rurſus: Præparatio ad illam vitam, eſt carnis mortificatio. Impoſsibile enim eſt nos ſimul in cęlos aſportare nobiſcum membra iſta. Qua in re falluntur multi: Scortator enim putat poſſe ſe in cęlos ſecum deferre ſcortationem: Auarus avaritiã, & ſic de cęteris: ſed falluntur, hęc enim membra priùs ſunt mortificanda, & quaſi immolanda, quàm ad cęlũ pateat aditus. Sed expendenda verba. *Mortificate* (inquit) Paulò ante dixit eos iam mortuos: Nunc iubet eos mortificare ſe. Ex quo apparet non ſignificaſſe Apoſtolum eos planè mortuos eſſe peccato. Nota igitur, ita quidem mortui ſumus peccato in hac vita, vt tamen quotidie nobis ſit moriendum quantiſper hîc vivimus: Non enim expirat peccatum, niſi tum cum nos efflamus animam, & ne tum quidem totum expirat: Nam etſi anima in morte liberetur à peccato, & glorificetur, tamen originis peccatum comitatur corpus ad ſepulchrum vſque, & in ſepulchro per mortem efficax eſt ad corporis reſolutionem

in

in pulverem: Post resolutum autem corpus in pulverem latitat penitus in ipso pulvere tantisper dum Christus veniat, qui in adventu suo prorsus abolebit peccatū simul & mortem. Cum igitur non simul ac semel mortificetur peccatū in hac vita, mortificationis nullum oportet finē esse quoad vivim⁹: quoties enim intermittitur mortificatio, toties reviviscit peccatum, reuiuiscente autem peccato, nos morimur. Rom. 7. 8. 9. Mandati autem illius adventu peccatū revixit, At ego mortuus sum. Mortificatio autem ex parte nostra in eo cernitur, vt mortificationis veras causas, hoc est, mortē Christi & Spiritum ipsius recipiamus primùm, deinde conservemus receptas semel: recipiuntur & conservantur mors Christi & Spiritus sanctus, per fidem, preces, auditionem Evangelii, sanctam denique vitam ac conversationem: Atque hæc ipsa quoque receptio & conservatio causarum, donum Dei est per Iesum Christum: Vt vniversa actio mortificationis sit ex gratia Dei sola ac mera. Iubemur tamen nos mortificare carnem, non quòd in nobis hoc sit positū, sed simul cum verbo ac præcepto Deus confert gratiam faciendi id quod iubet.

No-

Notum enim est illud, Fac quod iubes, & iube quod vis.

Membra vestra) Membrorum nomine intelligit ipsa corporis membra, sed quatenus affectiones peccatorum per legem existentes in iis vigent, vt loquitur Rom. 7.5. seu, quod idem est, hoc nomine intelligit affectiones prauas, quæ sese in mẽbris exerunt, per metonymiam subiecti: Nam affectiones cordis pravę ingerunt se in oculum, eumque implent superbia, adulterio, insania denique: Eædem ingerunt se in os illudque implent corrupto, putri & blasphemo sermone: eædem rursus ingerunt se in manum, ipsamque implent & armant crudelitate: Deniq; ingerunt se in omnes sensus in omnia corporis membra. Iubet itaq; Apostol, eruere oculũ, hoc est, pravã affectionem in oculo: exscindere linguã, hoc est, prauam affectionẽ in lingua, amputare manũ, hoc est, pravam in manu affectionem, & sic de cæteris. Nam melius est (inquit Christus) ingredi in regnum cęlorum mutilatum membris, quàm mẽbris omnibus absolutũ conijci in gehennã ignis. Mat. 18.8. & deinceps. Observa igitur vt grassetur peccatum per totum hominem, initium faciens

à corde, indeque se diffundens per totum corpus, perque membra omnia: vt necesse sit tam latè patere mortificationem, & initio facto à corde & radice sese porrigere ad singula corporis membra, vel minutissima. *Terrestria*) Hoc membrorum est epitheton, quo significat terrena & crassa membra, terrenas & crassas membrorum affectiones, imò ex fęce terrę constantes. Nam sunt affectiones etiam terrenæ, naturales, & humanæ, quæ per se licitæ sunt, &, si lauacro regenerationis lauentur ac purgentur, bonæ sanctęque sunt, vt edendi, bibendi, dormiendi, & cæteræ denique huiusmodi, quæ multæ in homine sunt. At quod ad affectionem scortandi & cæteras huiusmodi in se illicitę sunt & malæ, neque quærendum vt vllo modo sanctificentur, vt illæ aliæ, sed vt primo quoque tempore amputentur ac abscindantur. *Scortationem*) Sequuntur membrorum aliquot species: quarum prima scortatio. Suo more in recensendis vitiis gentium initiũ sumit à scortatione: Nam idem facit Rom. 1.24. &c. 1. Cor. 5.1. 1. Cor. 6.9. Eph. 5.3. & alibi. Priori autem ad Cor. 6.13. & deinceps pluribus argumentis condemnat hoc malum scortationis, in eoque immo-

ratus

ratur diutiùs, quàm ſolet in quovis alio vitio refutando & condemnando. In cauſa eſt, quia hoc vitium commune adeò fuit ac vſitatum inter gentes, vt pro vitio non haberetur: Ideò Apoſtolus ſæpiùs ipſum condemnat, & primo loco inter alia nominat principemque locum ei aſcribit: Et revera quidem ſcortatio ſic hominem profanat, vt nihil ſit ferè mali, quod ſcortator non ſit auſurus. Heb. cap. 12. ver. 16. ſcriptum eſt: Nequis ſit ſcortator, aut profanus velut Eſau. &c. quibus verbis ſignificat ſcortatorem ex numero profanorum hominum eſſe. Nam eo loco Apoſtolus poſtquàm ſpeciem nominavit ad ipſum genus progreſſus eſt. Scortationis autem nomine hoc loco ſignificat, non tàm actum ipſum, quàm affectionem ſcortandi, quæ viget in membris: Nam affectio eſt quæ mortificatur. Nos autem (vt verbo dicam) ex ordine & ſitu horum membrorum notamus: vt quodque vitium in aliquo populo ac gente maximè frequens & commune eſt, ita ipſum eſſe primo loco nominandum ac condemnandum: & quantò magis ipſum elevant homines, tantò magis exaggerandum eſſe.

Impuritatem) A ſpecie ad genus, & à membro

bro ſpecialiori & tenuiori ad generalius & craſſius procedit, nempe ad impuritatem in genere, quę vt genus ſe habet ad ſcortationem, continetque ſub ſe alias omnes impuritatis ſpecies, vt ebrietatem, voracitatem, omnem denique intemperantiam: Nam natura noſtra infinitis modis impura eſt ac immunda, proindeque non oportet contentos nos eſſe mortificatione vnius alicuius membri, ſed extẽdenda mortificatio eſt ad omnia membra: Nam etſi fingas mortificata eſſe omnia membra impuritatis, tamen ſi ſuperſit vel vnum non mortificatum illud vnum accerſet homini perniciem: Nam vel vnus aliquis morbus ex multis ſatis eſt ad perdendum hominem, ſi non curetur tempeſtiuè. *Mollicies*) Hoc membrum eſt tertium. Nomine πάθους ſignificatur quęcunque affectio in genere: Nomen enim generale eſt & latè patens, ſed hîc κατ' ἐξοχὴν ſignificat paſsionis genus vehementiſsimum & ardentiſsimum, à qua dicuntur homines vri. Melius eſt matrimonium contrahere, quàm vri. 1. Corinth. cap. 7. verſ. 9. In natura enim eſt ignis libidinis, qui nulla ferè ratione extingui poteſt in nonnullis, ne illa quidem à Deo ordinata, nempe matri-

mo-

monio. Hinc tot passim occurrunt adulteri: Imò ne tum quidem in nonnullis extinguitur cum in corpore libidinis omnis materia consumpta est, vt in senibus, vel iis qui libidinem immoderatè profuderũt: & quibus succus omnis corporis iam exhaustus est per intemperantiam. Quod autem Apostolus post nominatum ipsũ genus, huius speciei potissimùm meminerit, id admonet peculiariter habendã esse rationem istius affectionis mortificandę, vt quæ nullum modum faciat libidinis. *Cupiditatem malam*) Ab hoc speciali membro omninoque ab impuritate, siue impura ac immunda affectione, procedit ad affectionẽ siue concupiscentiã quamcunq; malam: Nam præter immundas illas quę hominem contaminant, sunt in natura infinitę alię malæ, perversæque, quarum vnaquęq; satis est ad hominem perdendũ: vt nunquam satis latè patere possit mortificatio.

Et auaritiam) Quemadmodum postquã nominavit impuritatẽ in genere, cõtinuò subiecit πάθος, hoc est, inordinatã affectionem tanquam speciem, quia ex omnibus impuritatis speciebus hęc pessima est: eodem modo postquàm nominavit malam

lam concupiſcentiam, quæ vt genus ſe habet ad omnes ſpeciales concupiſcentias, ſpeciem ſubiungit avaritiam, vt pote in genere malarum concupiſcentiarum peſſimam: Nam vt πάθος eſt ignis libidinis in corde inextinguibilis: Ita avaritia eſt hiatus in corde inſatiabilis, in quem ſi vniverſum hunc mundum devoluas, tamen non ſatiabitur: Neque mirum, nam mundus finitus eſt, ſicut omnia quæ in eo ſunt: At deſiderium cordis humani eſt infinitum, neque, vt verè dicam, vlla re ſatiari poteſt, niſi ipſo Deo qui infinitus eſt. Et, vt quidam dixit, alluſione facta ad figuram mundi, ſimulque cordis humani; Mundus circularis eſt, cor verò humanum quadratum: Quadratum verò circulus implere non poteſt: Quare, vt verbo dicam, Avaritia non expletur tantiſper dum ipſũ avarum abſorbeat atque demergat. Atq; hoc illud eſt quod dicit Apoſtolus. 1. Tim. 6. 9. eos qui volunt diteſcere, ſeſe demergere in exitium & interitum. Apoſtolus hæc duo nominavit, πάθος (inquam) & avaritiam, tanquam duo mala peſsima: Tamen ſi velis inter ſe ea comparare, videbis avaritiam malum peius & magis inſurabile: Nam πάθος & ignis ille libidinis pau-

paulatim extinguitur & cum senectute consenescit: At verò avaritia augescit continuò, & cum senectute iuuenescit. Nam vulgatum illud verum est; Omnia vitia cum senectute senescunt, at avaritia cum senectute iuuenescit: est enim morbus senum ferè propriùs. Quamobrem, si quod aliud malum eget mortificatione, & hoc malum maximè, quod nullo quæstu satiatur, nisi quæstu verę pietatis. Magnus enim quęstus est pietas, & hominem pręsentibus contentum reddit. 1. Tim. 6. 6. *Quæ est idololatria*) Subiungit definitionem Avaritię, eam quidem brevem, sed quę avaritię malum valdè exaggerat. Est enim Idololatria, hoc est, Idololatrię & cultui idolorum valdè affinis. Non hoc tantùm loco Idololatriam avaritię addicit, sed Eph. 5. 5. avarum Idololatram vocat. Et Christus ipse ante eum Luc. 16. 13. dixit neminem posse servire Deo simul & mammonę: quo significat avarum sic addictum esse diuitiis, vt eas pro Deo habeat, vero Deo quasi abiurato. Hic quæri potest, Ecquis tam stupidus & demens inueniatur, qui sese abiiciat ad pedes diuitiarum suarum, eaque tanquam Deum aliquem colat? Respondeo, Vt de externo

cultu nihil dicam, etsi illud negari non posse nullum vnquam extitisse Idolorum cultorē, qui maiori cum voluptate sculptile aliquod inspexerit, quàm avarus solet inspicere Imaginem illam quamcunque monetæ suæ impressam atque insculptam: sed, vt de externo hoc cultu nihil dicam, illud certum est neminem ex Idololatris extitisse vnquam, qui maiorem in Deo vero diffidentiam, in Idolo autem suo fidentiam habuerit, quam avarus habet in Deo diffidentiam, in pecunia verò sua fidentiam. Quantam enim fidentiam innuit vox illa divitis illius apud Lucam, 12.19. qui dicit animę suæ; Requiesce, comede, bibe, oblectare, &c. Paulus 1. Tim. 1.17. ratione habita huius fiduciæ auari hominis, iubet Timotheū denunciare auaro, ne spē ponat in incertis divitiis, sed in Deo vivo. Et David Psal. 62. 11. Opulentia, inquit, si abundet, ne apponatis animum. In quo autem est positus cultus, vel Dei veri, vel Idoli, si non in fiducia animi & confidentia ea, qua quis in eo acquiescit? Hîc rursus quęri potest, Annō sunt alia vitia non pauca quibus imbuti homines fiduciā collocant in rebus his terrenis? An non ambitiosus confidit mundano honori

eumque

tumq; pro Deo habet? Gulosus ventrem pro Deo habet? Alii in se, alii in aliis, fiduciam suam ponunt? Annon omnes isti pariter Idololatræ sunt dicendi? Cur igitur solus auarus vocatur Idololatra? Respondeo verum quidē esse istos omnes posse designari hoc nomine, tamen avaritiæ specialis quędā est ratio cur ipsa sic vocetur: Nā vt hoc malum avaritiæ cōmune est maximè, atque ideò minimè omniū pro malo æstimatur: sic maior videtur fiducia in avaritia, quàm in alio quovis malo: difficiliùs enim diuellitur auari animus à diuitiis istis terenis, quàm etiam Idololatræ alicuius animus ab Idolo suo: vt de aliis vitiis nihil dicam. Quare vt de hoc rursus admoneam, malum avaritiæ maximè omnium indiget mortificatione. Postremò de his corruptis & vitiosis affectionibus hæc in genere observo: Primùm versantur istę affectiones pravæ circa duo genera obiectorum: Primum est voluptas corporis, alterū est divitiæ & quęstus. Hęc quidē duo hominibus satis liberaliter & quantum satis est largitur Dominus, voluptatem, inquam, & commodum, iucundū & vtile. Quare eo magis damnandi sumus, quòd superando modū, & peccem?

& tanquam ingrati liberalitate Domini abutamur. Bis igitur peccatur, & duplex proinde est damnatio. Secundum est quod observandum occurrit: Sunt quidem istę affectiones omnes in excessu, vt & aliæ quas alibi damnat Apostolus, ferè omnes sunt in excessu, vt saris videas corruptionem affectuum humanorum vergere in excessum magis quàm defectum, ac proinde magis opus esse mortificante Spiritu ad refrenandos affectus & ad mediocritatem reducendos, quàm ad instigandos & ad mediocritatem promovendos.

Ob quæ venit ira Dei) Argumentum huius hortationis secundum: vt enim primum fuit à vita illa cęlesti cum Christo in Deo abscondita: Ita secundum istud est à vitæ contraria morte & ira Dei. Mortificationem enim carnis inclusit inter vitam & mortem æternam: vt quos vita proposita non movet, eos mors obiecta terrefaciat & impellat. Quę enim est naturę nostrę obstinatio & contumacia, opus est, vel optimo cuique, terroribus inferorum, quibus impellatur ad officium faciendum: etiam ipsi Paulo is opus fuit, qui dixit, Scientes igitur terrorem illum Domini hominem ad fidem adducimus. 2. Cor. 5. 11.

Nota

Nota deinde cauſam iræ in his omnibus & ſingulis ineſſe vitiis: Nam vnumquodque ex his efficax eſt ad iram & mortem æternam ex ſeſe: Ita tamen vt ſi interveniant fides, & reſipiſcentia, ex his nullum mortem afferat. Quod ſi non interveniant fides & reſipiſcentia, ſed homines ſint pertinaces in ſuprà dictis malis ac vitiis, iam vnumquodque ex his efficax eſt ad mortem æternam, adeò vt meritò, non tam aliquod ex his cenſeatur cauſa mortis & iræ, quàm contumacia, & cor quod neſcit reſipiſcere, quod quidem peccatum omnium maximè propriè ad mortem eſt. Nam ipſum in Spiritum ſanctum peccatum, ad mortem dicitur eſſe. 1. Ioh. 5. 16. eo ipſo quod impœnitentia ſit cũ ipſo coniuncta. Nam peccatum illud in Spiritum ſanctum ſpecialiter impœnitentia punitur. Nota tertiò, quos ſtatuat Dominꝰ exempla iræ ſuæ æternæ: nõ electos ſuos, ſed reprobos: Nam electos mauult in aliis ſpectaculum iræ ſuæ intueri, quàm iram illam in ſeſe experiri, quę eſt eius erga ſuos benignitas. Quæret quis, Annon etiam electos, etiam renatos, non raro ſtatuat ſpectacula iræ ſuæ adverſus huiuſmodi peccata? Exemplum in Davide & aliis, quos viſibili-

bus Iudiciis propter huiuſmodi peccata exercuit. Reſpondeo, id quidem verum, Dominus ſuos etiam ſeuerè temporaliter caſtigat ob huiuſmodi peccata, etiã poſtquàm reſipuerunt. Exemplum eſt Davidis. Sed hîc loquitur de ęterna ira quę contumacibus & infidelibus propria eſt. Quærat quis rurſus, Quis vnquam vidit ſpectaculum illud irę æternę, aut quenquam vidit in tormentis inferorum hærentem? Reſpondeo, ſatis eſt ſi hoc ſcriptum habeatur. Nam verba hęc Apoſtoli hoc loco, & Eph. cap. 5. 6. nobis debent eſſe inſtar ſpectaculi: quod ſi quis nolit his credere, metuendum eſt ne ipſe in ſeſe inferos & iram ęternam experiatur. *Quibus in vitijs*) Hoc tertium eſt argumentum à priſtina ipſorum converſatione: Vos (inquit) verſabamini quondam in his vitiis ſuprà enumeratis: Ergo (vt ſequitur verſu ſequenti) nunc ea deponite. Ex quo obſervamus: In priſtina converſatione mala & miſera materiam eſſe mortificationis & reſipiſcentię. Revera autem, vt alia omnia, ſic etiam peccata ante commiſſa diligentib⁹ Dominũ conferũt ad bonũ. Rom. 8. 28. Nam ipſa præteritorum peccatorum recordatio vulnerat mentes ſenſu doloris

ris: dolor autem qui est secundum Deum efficit resipiscentiã. 2. Cor. 7. 10. Iam præsens gratia vulnus illud ita sanat, vt cum dolore coniunctum sit gaudium ineffabile ac glorioſum. Sed in verbis tria sunt quę obſervamus ac distinguimus. Primum, conversatio eorũ in his vitiis emumeratis Secundum, modus conversationis. Tertium, tempus conversationis. Quod ad primũ: Verbum est ambulandi, quo significatur peccatorẽ, in quo nimirũ peccatum regnat, non conquiescere, non otiosè desidere, sed moveri continuo motu, procedere, in itinere esse: via autẽ est via peccatorũ, hoc est, lata illa via quæ ducit ad interitũ: Nam, vt verè dicam, omnes vltrò tendunt ad interitum. Perditio tua ex te est Israel. Imò decurrentes in lata illa via, & quasi stadio, certatim perpetrant omnẽ impuritatem, vt loquar cum Apostolo. Eph. cap. 4. vers. 19. hoc est, quantis possunt viribus nituntur ad inferos: Quod ad secundum: Particula (καὶ, &) notat eodem modo ambulasse eos in his vitiis, quo ambulant infideles & contumaces: Vt videas ante efficacem et internam Dei vocationem, nullum esse omninò discrimen inter electos & reprobos,

siue mentem internam, & internos affectus, siue motus externos respicias, nisi in Dei consilio ac proposito, quod posteà suo tempore sese exerit in efficaci vocatione: Vt omnis boni nostri gloria in solidū Deo in Christo Iesu tribuatur. Quod ad tertium. Tempus notatur particula (*Quondam*) quæ deinde definitur verbis sequentibus. *Quum in ijs, &c.* Quibus verbis significatur vitam internam causam fuisse conversationis externæ: nam vt vita interna naturalis causa est & fons omnium motionū, & actionū externarū: Ita vita interna peccati intus & in animo regnantis, est causa omnium malorum motuum, malarum actionum corporis: Et revera aliquis scortator est animo prius, quàm corpore; Homicida animo, prius quàm corpore; Sed hæc vita revera mors est, & qui sic vivunt, mortui sunt. Vnde suprà eodem sensu dictum est eos mortuos fuisse in peccatis, quo nunc dicitur eos vixisse in peccatis: Nam vita peccati est mors ipsius hominis. Quandoquidem hæc ita se habeant, studendum vt imprimis mortificatio incipiat à vita illa interna peccati. Hypocritæ est simulare externam in membris corporis mortificationem, vt in oculo, in manu,

in

in pede, &c. Sed qui præditus est illo Spiritu sinceritatis, mortificationem statim inchoat ab interna illa peccati vita, qua paulatim mortificata & enervata, rami illi quos diffundit per totum corpus sensim languescunt atque arescunt. Quodsi non statim mortificetur interna illa peccati vita, fieri quidem potest, vt quis ad tempus non erumpat in manifesta flagitia, sed illa vita intus latens, necesse est tandem aliquando sese prodat. Addo si fingas quenquam ita constrictum teneri externa aliqua vi vt neque adulterium, neque homicidium, neque flagitium aliquod aliud manifestum committere possit, ne in tota quidem vita sua, tamen is, si interea non mortificetur illa vita peccati, quæ intus latet, vel propter eam solam, morte illam æternam morietur. Quamobrem danda est opera ante omnia, vt mortificetur vetus ille homo qui intus & in corde penitus delitescit.

8 *At nunc deponite etiam vos hæc omnia, iram, excandescentiam, malitiam, maledicentiam, verborum turpitudinem ab ore vestro.*

9 *Ne mentimini alius adversus alium, quum exueritis veterem illum hominem cum factis ipsius.*

10 Et

10 *Et indueritis nouum illum, qui renouatur in agnitionem congruentem imagini eius qui ipsum condidit.*

11 *Vbi non est Græcus & Iudæus, Circumcisio & Præputium, barbarus, Scytha, seruus, liber: sed omnia & in omnibus Christus.*

AT nunc deponite) Redit ad exhortationem, eamque ex præcedentibus argumentis concludit: Nam deponere hæc membra omnia nihil aliud est reipsa, quàm mortificare ea. Videnda sunt hîc quatuor: Primũ, quid significet hoc verbum deponendi: Secundum, quę sint deponenda: Tertium, quomodò: Quartũ, quo tempore. Quod ad primum: Verbum deponendi idem significat reipsa, quod verbum præcedens mortificandi. Vtrumque mutuaticium est. Mortificandi verbum sumptum est ab animantibus, quæ vitam et sensum habent, ac proinde mortificari possunt. Verbum autem deponendi sumptum est à vestibus, quę exuuntur et amoventur. Peccatum enim, vt est vetus homo qui interficiatur ac mortificetur, Ita quoque est vestimentum planè pestiferum, quod exuatur et deponatur. Verbum deponendi ἀποθεσθαι non significat tantùm exuere, sed ita exuere, vt nunquam posteà induas

vesti-

veſtimentũ ſemel exutum, verũ longè à te ipſum amoueas atque abiicias. Non enim quemadmodum tunica veſperi deponitur, rurſus mane aſſumitur, atque induitur: Ita peccatum nunc exuendum, paulò verò poſt induendum eſt: præſtaret enim nõ exuiſſe. Nam rurſus indutum firmiùs adhæret et euadit natiuum, adeò vt ipſamet cutis noſtra non arctiùs ferè adhæreat carni, quàm peccatũ: quod ſi tanquam canis reuerſus fueris ad vomitum, vide ne non detur tibi rurſus illud evomere, quod poſtquàm euomuiſti, tanquam canis lingendo rurſus deuoraſti. Quod ad ſecundum: *Deponite* (inquite) *omnia*, non aliqua, ſed omnia: Non fornicationem tantùm, ſed auaritiam, non auaritiam tantùm, ſed iram, denique omnia: Nam qui offendit in vno, omnibus tenetur. Iacob. 2. 10. Et reuera in quo regnat vnum aliquod peccatum, nulla eſt in eo homine peccati cuiuſquam mortificatio. Mortificatio enim eſt omnium peccatorum pariter, quod ſi non ſit alicuius in vllo gradu, profectò nullius eſt peccati mortificatio. Præterea quemadmodum vnus aliquis moritur multis confectus morbis, ita alter vno tantùm confectus et abſumptus morbo, interit. Notandum quod dum præcipit

deponenda omnia, id præcipiat omnibus & singulis sine discrimine. In vnoquoque enim per naturam sunt omnia vitia, & semen est omnium malorum: licet non erumpat statim quiuis in omnia. Quod ad tertium: *Deponite* (inquit) *vos etiam*, vel similiter; nempe, quemadmodum alii ex fidelibus hęc deponunt omnia, ita vos idem facite, si velitis in numero fidelium esse. Quondam ambulastis cum infidelibus in his vitiis omnibus: Nunc vicissim ambulate cum fidelibus, deponite hæc omnia: Oportet enim compensationem esse: Nunquam enim ego eum hominem habuero pro Christiano qui non simul cum nomine vitam mutârit, & pristinam vitam malam ac perversam, imposterùm sancta & honesta compensarit. Sed notandum hoc loco: quemadmodum Deus verbo suo mortificat nos, ita exemplo sanctorum & mortificatorum, quod nonnunquam adeò efficax est ad mortificationem, vt qui non sunt mortificati & conversi per sermonem, sine sermone, vt habetur. 1. Pet. 3. 1. lucrifiant inspecta sanctorum ac piorum conversatione. Sunt tamen qui tantùm ab eo absunt vt commoueantur exemplo sanctorum ac piorum ho-

hominum, vt quos vident ſanctè viuere ſeſeque ſeparare ab inquinamentis huius mundi, pro ludibrio eos habeant. De his Pet. 1. Epiſt. 4. 4. Quamobrem illi, inquit, non concurrentibus vobis ad eandem luxus profuſionem videntur ſibi peregrinari blaſphemantes: Qui reddituri ſunt rationem ei qui paratus eſt ad iudicandum vivos & mortuos. Quod ad quartum, *Deponite*, inquit, *nunc*, hoc eſt, dum dies eſt, ac ſplendet Chriſtus in Evangelio. Tunc enim olim dum nox erat ambulaſtis in his vitiis omnibus: Nunc igitur pari ratione dum dies eſt deponite hęc omnia: Non enim parùm facit tempus ad vivendi rationem, aliudque atque aliud tempus, ad alias atque alias actiones eſt efficax: Nox provocat ad ſomnum, ad ebrietatem, ad ſcortationem, & cætera opera tenebrarum. Qui dormiunt, ait Apoſtolus, noctu dormiunt: & qui inebriantur noctu ebrii ſũt. 1. Theſſ. 5. 7. Rurſ⁹ dies provocat ad vigilandũ, ad ambulandũ compoſitè: vt interdiu, inquit, cõpoſitè ambulem⁹. Rom. 13. 13. Similiter nox ſpiritualis, hoc eſt, ignorantia Dei, qui in Chriſto Ieſu ſpiritualis illa lux eſt, provocat ad opera quęcunque tenebrarum. Viciſſim lux

siue dies spiritualis, hoc est, cognitio Dei in Christo Iesu, excitat ad opera lucis. Nox processit, dies aut ẽ propinquat: Abũciamus igitur opera tenebrarum. Rom. 13 12. quo loco est idem hoc verbũ quod hic legitur ἀποθώμεθα Hęc quidem est efficacia per se lucis huius spiritualis: sed in multis non est efficax ad sanctam vitam ac conversationem. Sunt enim quos excęcat & indurat, quibusq; oculos perstringit, non culpa quidẽ ipsius, sed vitio pessimorum ac contumacissimorum hominum interitui destinatorũ. Quod si enim tectũ est Evangeliũ tectum est iis qui pereunt &c. 2. Cor. 4. 3. *Iram, excandescentiam*) Hactenus fuit conclusio exhortationis generalis: Nunc rursus explicatur inductione certorũ quorundã aliorum vitiorũ. Priora quatuor quę numerãtur continentur sub generali malo, quod vocamꝰ iniuriã, siue iniustitiã in proximũ. Gradatim ascendunt ab imo ad summũ, per media: In imo gradu est ira quã vocat: In secundo est, θυμος, excandescentia. In tertio gradu, est malitia. In quarto & vltimo, est blasphemia siue maledicentia. Irã (vt ab ea ordiamur) intelligit primã illã commotionẽ & eã quidẽ corruptã, cordis humani adversꝰ proximũ

ad

ad ſumendam de ipſo vindictã. Voco cõmotionem corruptam: Nam alioqui eſt ira quædam ſancta: nempe tum ſancta eſt ira quũ non tam hómo ipſe, qui totus eſt corruptus natura, quàm Spiritus ſanctus Dei in homine & per hominẽ iraſcitur, hoc eſt, tum affectus irę ita regitur ac gubernatur per Spiritũ ſanctum, vt non peccet in vllis circumſtantiis, quoad eius fieri poteſt, non in cauſa vel materia iræ, non in perſona, non in tempore, non in loco, non in modo ac menſura. Quum peccatur, vel in aliqua harum circumſtantiarũ, vel etiã in omnibus, iam non tam Spiritus ſanctus, quàm ipſe homo iraſcitur & commotio irę corrupta eſt ac vitioſa: Quod ad Spiritũ illum ſanctum, non tum iraſcitur nobiſcum, quin potiùs iraſcitur adverſus nos: Paulus enim, Eph. cap. 4. verſ. 30. dicit iram, amaritudinem, & cętera huiuſmodi, triſtitia afficere Spiritum ſanctum. Fateor equidem difficillimum eſſe in ira non peccare: Eſt enim affectus cordis adeò prępceps ac ſubitus, vt citiùs ferè erumpat, quàm detur vllus rationi locus, rationem autem perturbet. Quamobrem Apoſtolus ait, Iraſcimini & ne peccate. Epheſ. cap. 4. verſ. 26.

quo

quo significat iram ferè non esse sine peccato. Quare quoties materia vel causa irę aliqua sese offert, toties invocanda est presentia Spiritus sancti, qui eam mortificet, & ita regat, vt quantum fieri potest, non peccet; Nisi enim in optimo quoque regatur per Spiritum sanctum, profectò quum iustissima etiam irę causa oblata est, vltrà modum provehetur, ac peccabit. De ira hactenus. Secundus Iniurię gradus est θυμος excandescentia; Est autem ira vehementior, vt origo vocis indicat, accensa in corde ira (Nam ἀπο τῆς θυμιδος vox descendit: Est autem eam calidus sanguis circa cor sic æstuat, vt cor accẽdatur & incendiũ quasi corripiat, & flamma ac scintilla ignis conspiciatur, in oculis micantibus, in lingua, in manu, adeò vt si à maleficio aliquo cohibeatur manus id adscribendum sit Dei misericordię, qui tempestiuè insanum illum affectum animi reprimit, atque coercet. Quamobrem, nisi tempestiuè deponatur & mortificetur affectus iste tam furiosus, necesse est armetur ea manus ad vindictam iniustam, quę ipsi furioso perniciem certam afferat. Exempla huius rei passim occurrunt. De excandescentia hactenus. Tertius iniuriæ gra-

gradus est malitia quę ipsa iræ quędam species est: Est enim ira permanens, & altiùs cordi insidens, coniuncta cum proposito ac consilio mentis ad vltionem sumendam, quamprimùm sese occasio offeret. Ne occidat Sol super iracundiam vestram, neque date locum Diabolo. Eph. 4 26.27. Quibus verbis significat Apostolus iram cum pernoctat nobiscum evadere in malitiam coniuncto vlciscendi proposito, idque ex suggestione Satanę. Quamobrem vel multò maximè eget hic affectus animi nostri mortificatione: secus enim certum ac manifestum flagitiũ insequetur. Nam malitia vlciscendi omnes occasiones quærit atque arripit. Est enim non subitus aliquis motus, qui citò accedit, rursus citò discedit ac evanescit, qualis est θυμος: sed est constans ira cum proposito malefaciendi & lędendi proximum: De malitia hactenus. Sequitur quartus iniuriæ vel iniustitię gradus, quem blasphemiam nominat. Est autem actio externa qua lædituer fama proximi, profectiscens ab interna animi, vel ira, vel excandescentia, vel malitia: Horum enim affectuũ vitiosorum primus affectus est in lingua ad blasphemandum ac maledicendum, se-

cundus verò in manu, ad pertutiendum. Mortificandus est statim primus, ne si regnet blasphemia in ore, tandem aliquando manus percutiat. Sed non est hoc prætereundum, quod hunc secundum effectum Apostolus non nominet, neque ad blasphemiam adiungat eçdem, vel homicidium. Fortasse homicidium tam abominandum ac detestandum duxit, vt noluerit ipsum vel à se, vel aliis nominari. Alibi enim detestanda ista vel nominari prohibet. Eph. 5. 3. Vel certè malum hoc homicidii, non ita frequens tum olim fuit, ne inter gentes quidem. Quod si Apostolus ad Scotos hodierno die scriberet Epistolam, (inter quos homicidium tam vsitatum ac frequens est, vt iam ne pro vitio quidem, quin potiùs pro virtute passim haberi incipiat) Quod si, inquam, scriberet ad nostros, persuasum habeo, plures paginas consumeret in condemnando hoc vnico vitio. Nam vt scortatio prçcipuum videtur fuisse gentium vitium, & hoc ipso die Ebrietas Germanorum: Ita Sotorum prçcipuum malum ac vitium, est illud homicidii longè deterrimum, ac abominandum omnibus modis. Hactenus de partibus ac gradibus iniuriæ in proximum. Hçc itaque

ſique veſtis, vt ſic dicam, iniuriæ, quam deponendam monet Apoſtolus, craſſa eſt admodùm, ac, ſi quæ alia ſit, multiplex eſt: Nam multis, imò propè infinitis, modis læditur proximus. Sic autem tota deponenda eſt, & abiicienda iniurię veſtis, vt ne vna aliqua eius, vt ſic loquar, plicatio ſit retinenda, ne prima quidem illa & ſimpliciſsima, quam iram diximus, quæ ipſa ſi retineatur, & non mortificetur, evadet tandem in eam craſsitiem, vt nihil ad conſummationem iniurię in proximum poſsit deſiderari.

Verborum turpitudinem) Hoc quintum eſt ex iis vitiis, quæ hîc enumerantur, quam αἰσχρολογίαν vocat, ſermonis turpitudinem. Poſtquàm enim de peccatis quę verſantur circa linguam & ſermonem cœpit agere, in iis immoratur, & maledicentiæ ſubiicit ſermonis turpitudinem, ſermonis autem turpitudini ſubiicit mendacium verſu ſequenti. Varium enim ac multiplex eſt linguæ malum, niſi ipſa ſanctificetur. Etſi enim puſillum ſit & minutum in corpore membrum, ait Iacob. cap. 3. verſ. 5. & 6.

tamen magna iactat, flamma est, ac mundus iniquitatis. Ex his malis pauca aliquot hîc enumerat, nempe tria, maledicentiam, verborum turpitudinem, mendacium. Quam hîc vocat verborum turpitudinem. Eph. 4. 29. σαπρον, putrem sermonem appellat. Turpis autem siue putris sermo dicitur, quia instituitur de rebus obscœnis & putribus: quæ ne nominandæ quidem sunt. Nam vt res ipsæ tactu suo corrumpunt ac putrefaciunt, quæ iis apponuntur & admoventur, sic sermo de his rebus corrumpit ac putrefacit aurem simul atque animum hominum. Neque enim existimandum est verbum quod procedit ab ore cuiusquam tam inefficax ac evanidum quiddam esse: Vt enim sermo sanctus & ad ædificationem comparatus, confert gratiam auditori: Ita sermo malus ac impurus impurat ac corrumpit hominem: vnde Apost. 1. Cor. 15. 38. iis occurrens qui leue adeò momentum in sermone putabant esse, Ne errate, inquit, quasi dicat, erratis, putantes perversum sermonem, vel de religione, vel de moribus, tam parvi esse momenti: Tum continuò subiicit, Mores bonos commercia corrumpunt mala. Huc accedit animi humani

pro-

pronitas ad recipiendam quamcunq; infectionem & contagionem, idque ex obiectis rebus quantumvis levibus & evanidis; Imò ex rerum vmbris & imaginibus oblatis, vel oculis, vel auribus, vel cuiquam aliorum sensuum; quibus sese contaminat intus, priusquam foris rebus ipsis malis ac turpibus corpus contaminetur ac polluatur. Quare attendendum his sensibus exterioribus, præsertim oculis & auribus, ac nominatim auribus, per quas vt animo potissimùm subministratur gratia, ita per easdem animo ministratur contagio: sensibus, inquam, attendendum, qui non sunt accommodandi temerè ad quascunque res obiectas, sed ad eas tantùm quę commodę sunt ad ædificationem, & gratiam conferunt. *Ab ore vestro*) Turpitudo verborum est oris: Quare ab ore deponenda. Est enim mortificatio quædam oris, quemadmodum & animi: Et eadem ratio est aliorum membrorum corporis, quæ singula suo modo mortificanda sunt, quemadmodū singula sunt vitiata: Mortificatio autem primùm omnium incipere debet ab animo, & amovenda ab animo turpis ac obscœna cogitatio quæque: deinde ad os veniendum: Ex abundantia

enim cordis os loquitur. Mat. 12.34. Rursus turpis sermo postquàm ex ore est egressus, reflexu quodam suo polluit interiorem animum, adeoque totum hominem: Lingua, inquit Iacobus, maculat totum corpus. Iacob. 3.6. Quamobrem videndum ne fœda aliqua cogitatio in linguam prorumpat, sic enim bis peccatur: Et os quoq; ratione certum est mortificari interiorem fœdam & impuram affectionem ac cogitationem, si illi locus non detur in lingua, vel ore: sed quamprimùm commovet sese interius, eam aversetur quis animo atque detestetur, denegans ei, tam linguę sermonem, quàm cordis assensum.

Ne mentimini alius) Hoc tertium vitium est linguæ; nempe, mendacium. Mentiri vulgò dicunt esse contra mentẽ ire, quum aliud lingua proferimus, aliud mente intelligimus. Oritur autem hæc pugna inter mentem & linguam ex interiori quadam discrepantia quæ est inter mentem & voluntatem: mente quidem veritatem ostendente, voluntate autem renitente, & negante assensum suum. Lingua autem, vt & alia corporis membra, nutum perversæ voluntatis maximè sequuntur, & prout

ea

ea enim affectibus ac concupiscentiis suis sese inclinat, ita ipsa inclinatur. Mentiri, etsi ex eo nullum aliud sequatur malum aut detrimentum, etsi neminem lædat, tamen per se malum est ac peccatum, & Christiano homine ac Christo Domino, qui ipsamet veritas est, maximè indignum. Sed scopus atque respectus quem is qui mentitur ante oculos habet, facit vt in mentiendo sit maius malum & peccatum gravius. Quisquis enim mentitur proximo, id, animo fallendi eum, facit perpetuò, sæpè etiam animo lædendi eum, vel corpore, vel bonis. Vnde Apostolus hoc loco dicit, Ne mentimini alius adversus alium, vt alii alios lædatis. Sed vt demus eum qui mentitur non lædere proximum, vel corpore, vel bonis, imò verò ei prodesse, quemadmodum medicus dum ægroto dicit medicinam eam quæ in se amara est, suavem esse, vt eam ægrotus absorbeat, ac inde convalescat: Tamen qui persuadet proximo quod falsum est, is eum, etsi non alia ratione, tamen animo lædit. Nam omnis informatio & opinio falsa, posteaquàm animo percepta est, ipsum vitiat aliquo pacto: Verùm vt illud

demus nullo pacto per mendacium lædi proximum, neque corpore, neque animo, neque bonis: tamen is qui mentitur, ipse semper lęditur: Vtut aliis prosit, sibi ipse obest perpetuò: Mentiendo enim sæpè, sibi habitum acquirit mendacii, quò fit vt nihil vnquam queat verè ac sincerè proferre, vel, si verum dicat, illud mendaciis permisceat: Prętereà amittit fidem apud alios quoties loquitur: Nemo credit, etiam tum quum vera loquitur: Nam semel malus semper pręsumitur esse malus in eo mali genere. Postremò provocat ad iram Deum, cui mendax lingua est abominationi. Prov. 6. 16. 17. Ex his sequitur mentiri esse peccare, & mendacem perpetuò peccatorem esse, quocunque modo, & quocunque demùm fine ac respectu mentiatur. Ne quis allata mendacii distinctione conetur effugere. Nam cum triplex vulgò circumferatur mendacium, primum pernicioſum, quod tendit ad perniciem & detrimentum proximi: Secundum officioſum quod respicit bonum & commodũ, vel nostrũ ipsorum, vel proximi: Tertium Iocoſum, quod pro fine habet delectationem & voluptatem proximi: Quum, inquam, triplex sit mendacium

um, affirmo nullum ex his absque peccato esse, et si non sit idem & par omnium peccati gradus: Nam qui mentitur officiosè, peccat ille quidem: Qui mentitur iocosè, magis peccat: Qui denique perniciosè maximè, et grauissimè: Omnis tamen mendax quocunque demùm modo mentiatur, hoc ipso quod mentitur peccat. Primum enim mandato illo Dei, quod vetat falsum testimonium, omne genus mendacii prohibetur, vt quiddam in sese malũ. Nam quidquid vetatur lege Dei, illud per se malum est. Secundò, Paul. Rom. 3. 8. dicit, Non est faciendum malum vt bonum veniat: quò significat quod in se malum est ac vetitum lege Dei, illud nullius circumstantiæ ratione posse bonum fieri, ne quidem si ex eo bonum & commodum, vel nostrum, vel aliorum, succedat: Quæ enim in se mala sunt ac vitia, nullis circumstantiis adiectis possunt virtutes evadere. Secus se res habet in iis quæ in se sunt ἀδιάφορα, hoc est, neq; bona simpliciter, neque mala; hæc enim ratione circumstantiarum, vel bona vel mala fieri possunt: vt sunt affectiones animi, quæ ratione circumstantiarum, vel bonæ, vel malæ fieri possunt: quum in se neque bonæ, neque malæ, dicantur. Hæc

traduntur ab ipsis Philosophis. Tertio, Quod si non esset aliud quod argueret mendacium quodcunque & cuiuscunque generis vitium esse, profectò vel conscientia hoc doceret, quæ postquàm quis mentitus est quovis modo, si non plane consopita sit, vellicat ipsi aurem, & peccati admonet. Videmus pueros, si quando mendacii arguuntur, erubescere. Quid causæ est? Conscientia admonet mentiri esse peccare. Videmus denique omnes nullam ferre contumeliam gravius, quàm hanc qua exprobratur iis mendacium. Hinc continuò iræ, pugnæ, cædes. Quid autem causæ est? Conscientia, quæque reliqua est in natura lucis scintilla, admonet mentiri esse peccare, & abhorret ea à mendacio, tanquam ipsa hominis natura indigno, quum hic creatus sit ad imaginem Dei, qui est ipsamet veritas. Hæc et alia quæ afferri possunt multa, satis ostendunt nullum mendacii genus esse absque peccato. Non me latet fuisse qui aliquod defenderint tanquam bonum, vt illud officiosum maximè, pro quo exempla ex Scripturis deprompserunt. Primò, illud obstetricum Ægyptiacarum, quæ mendacio conservarunt in

vi-

vita mares Iſraelitarum modò natos. Exod. cap. 1. verſ. 19. Secundò, illud Rachab meretricis, quæ exploratores Hebræorum mendacio conſervauit. Ioſu. cap. 2. verſ. 5. Tertiò, illud Davidis, qui ſeſe mendacii habitu & ſimulatione inſaniæ conſervavit apud Regem Philiſtæorum. 1. Sam. cap. 21. verſ. 14. & ſi quæ ſunt alia huiuſmodi. Sed ad hæc facile eſt reſpondere, & iam reſponſum eſt ab Auguſtino in libris ad Conſentium de Mendacio conſcriptis. Vt igitur concedatur mulieres iſtas mentitas eſſe, (de quo tamen ambigunt viri docti) ſed vt concedatur, inquã, mentitas eſſe eas, certum eſt feciſſe iſtas malum, vt bonum evenire: quod tamen faciendum vetat Apoſtolus. Ac proinde certum eſt iſtas, atque etiam Davidem peccaſſe in mentiendo, hoc eſt, in modo & ratione, qua fecerunt bonum: Quod enim fecerunt id bonum erat, ſed alia ratione alioque modo oportuit facere. Quare neceſſe fuit mendacium, & faciendi modũ ipſis condonatũ fuiſſe ex Dei miſericordia, etiam tum cum compenſavit quod fecerunt bonum. Atq; hæc paucis eſt noſtra ſententia conſentiens veritati, conſen-

sentiens etiam Augustini, & piorum ac doctorum quorumcunque nostri sæculi hominum sententiæ de mendacio, deque mendacii speciebus omnibus, quòd nempe nullum mendacium sit absque peccato aliquo. Vt ne quovis modo peccandi licentiam sibi sumant homines: quasi verò aliquid boni sit in aliqua mendacii specie. *Cum exueritis*) Hoc aliud est argumentum exhortationis conclusioni subiectum numero quartum. Sumptum autem est à regeneratione iam inchoata: Cuius hîc partes ponuntur duæ, Prima veterem hominem exuere; Secunda novum hominem induere. Argumentatio in hanc formam strui potest: Regenerati estis exuto iam vetere homine, & induto novo homine: Ergo mortificate membra, affectiones, & actiones veteris hominis. Argumentum est à qualitate ad motus, affectiones, & actiones inde promanantes: Ex quo observa, Qui exuit veterem hominem, hoc est, qualitatem ipsam malam, simul exuat & mortificet oportet omnes vitiosos motus veteris hominis, & qui semel exuit veterem hominem, oportet quoque eum deponere, sive mauis abiice-

re

re illum hominem, ſic vt nunquam eum induat impoſterùm. Plus enim eſt in verbo, ἀπεκδύσαι hoc eſt, abiiciendi, quàm in verbo exuendi. Argumentum autem hoc loco ex eo quod exuerint illum hominem concludit ipſum deponendum ſiue prorſus abiiciendum. Sed expendenda ſunt ſingula verba. *Quum exuerint*, inquit) Verbum ſumptum eſt à veſtibus, quę induuntur & exuuntur. Quare vetus homo indumenti quoddam genus eſt: Quare oportet ipſum nobis eſſe admodùm coniunctum & vnum quodam modo nobiſcum fieri: Imò arctiùs coniunctum nobiſcum, quàm indumentum aliquod quàm maximè nobis intimum, præſertim quum nobiſcum conceptus ſit, ſimul & natus: id quod in nullum cadit corporeum indumentum. Veſtimentum tamen quoddam eſt: Quare non ex ſubſtantia, vel corporis, vel animi noſtri: ſed adventitia quædam qualitas, quæ tamen ſic adhæret, tam corpori, quàm animę, vt avelli ab iis nequeat vlla vi, niſi ſola illa omnipotentis Dei per Chriſtum Ieſum. Manu hominis poſſumus exui iſta veſte, imò ipſa cutis nobis poteſt detrahi per manũ hominis. At ſolus Deus exuit nos ſpirituali illa veſte originalis pec-

peccati, quam veterem hominem hîc & alibi nominat. *Veterem hominem*) Nomine veteris hominis intelligo (vt verbo dicam) corruptionem illam naturæ, quam hauſimus, non tantùm ex matris vtero, ſed etiam ex lumbis ipſius Adami, prorſus corruptis & putridis, idque per naturalem propagationem: Non igitur immeritò vetus appellatur cum originem ſuam ad veterem illum Adamum vſque referat. Neque mirũ eſt ſi vetus iſte homo plenus ſit deformitatis, rugarum, macularũ illarum quarum meminit Apoſt. Eph. 5. 27. cum & tam vetus ſit, & nunquam, ne in pueritia quidem ſua, formoſus extiterit: Et certum quidem eſt, nihil eſſe quod terrorem & horrorem magis incutiat nobis, quàm facies illa veteris hominis, ſi ea ſemel à conſcientia oculis animi oſtentetur: Habet enim comitem iratam illam Dei faciem. Sed ludunt homines cum peccato, & naturæ ſuæ fœditate, quantiſper eam eiuſque horribilem deformitatem, conſopitis adhuc eorum conſcientiis, non aſpiciunt.

Cum factis ipſius) Quantumvis vetus ſit, & quaſi ſenio confectus iſte homo, tamen πραγματικος & in agendo aſſiduus eſt.

Ho-

Homines cùm ad ſenectutem vergunt ceſſant ab agendo, & membra ipſis debilitantur paulatim. At iſte homo quò magis ſeneſcit eò magis vireſcit ac vegetus eſt. In hac enim vltima mundi ſenectute maximè viget. Et originis illud peccatum magis viget in vno aliquo qui nunc vivit homine non renato, quàm viguit in ipſo Adamo primo homine, quo primùm tempore lapſus eſt ac defecit à Deo. Sed nota actiones veteris hominis cum ipſo veteri homine exuendas eſſe adeò neceſſariò, vt ſi non exuantur actiones, neceſſe eſt maneat vetus homo. Nequis ſit qui in mediis homicidiis ſuis, adulteriis, furtis, rapinis, blaſphemiis & cæteris huiuſmodi, iactitet Chriſtum ac novum hominem, fidem, Iuſtificationem, Sanctificationem, & Regenerationem: Vbi enim regnant actiones veteris hominis foris, illic intus regnet vetus ipſe homo neceſſe eſt.

Et induentis nouum) His verbis habemus alteram Regenerationis partem: Ac primùm verbum induendi ſignificat novum hominem eſſe quoddam indumenti genus, perinde vt exuendi illud verbum indi-

indicabat veterem hominem indumentum quoddam esse. Quare oportet & novum quoque arctè nobiscum coniunctum esse, sed tamen vt vestimentum, hoc est, quoddam non ex nostra natura, sed adventitium naturę & substantię, sanctam nimirùm qualitatem, quę tamen adeò firmiter arcteque naturæ, tam corporis, quam animæ, adhęret, vt nunquam ab ea divellatur, Dei manu in æternum eam sustentante. Vetus homo avellitur à natura Dei manu, vt suprà admonuimus: At novus homo Dei manu ita sustentatur in perpetuum vt nulla alia manu, vel Angeli, vel hominis, diuelli à nobis queat vllo tempore: Dona enim & vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα. Rom. 11. 29. *Nouum illum*) Vt vetus homo fuit corruptio naturę, quam hausimus ex putrido illo stipite Adamo, idque per naturalem propagationem, sic novus homo est incorruptio, naturęque sanctitas, quam haurimus ex Christo secundo Adamo, tanquam viridi arbore, non quidem per naturalem propagationem, sed per gratiæ insitionem, quæ fit per Spiritum ac fidem. Sed quę sequuntur clariùs exprimunt ac depingunt nobis hunc

hunc novum hominem, quàm vt opus ſit definitione vlla noſtra. In verbis ſequentibus tria notanda ſunt: Primum eſt hominis novi creatio. Secundum eſt ipſius natura quæ ſit ea. Tertium eſt Imago ſiue ἀρχέτυπος ad quem conditus ſit novus homo. Quod ad primum. *Qui renouatur*, inquit) Non dicit, qui creatur, ſed qui renovatur, hoc eſt, qui denuò creatur. Hinc ſequitur iam olim creatum fuiſſe & conditum hunc hominem, quod ad ipſius ſubſtantiam, in prima mundi & hominis creatione: Deinde amiſſum planèque deperditum fuiſſe in lapſu primi hominis: Tertiò denuò creatum ac conditum in Chriſto Ieſu. In quo apparet admirabilis Dei miſericordia, quam Paul. Eph. 2:4.5. (dum meminit vivificationis noſtri quę eſt cum Chriſto, quæ nihil aliud eſt quàm hæc quę hîc dicitur renovatio) Paulus (inquã) ſic prædicat, Deus, inquit, qui diues eſt miſericordia, ſecundum multam charitatem ſuam qua dilexit nos, etiam cum eſſemus mortui in offenſis noſtris vivificavit vnà cum Chriſto. Et Tit. 3. 4. 5. dum meminit lauacri illius regenerationis, & renovationis per Spiritum ſanctum, extollit mirificè benignitatem: miſericordi-

am, & φιλανθρωπιαν Dei.

In agnitionem) Hoc secundū est in his verbis quo exprimitur novi hominis natura & essentia: ea autē posita est in agnitione: agnitionē hanc magnificè descripsit Apost. Eph. 1. 18. 19. vbi postquàm meminit agnitionis ipsius, continuò subiecit, Vt illuminatis oculis mentis vestrę sciatis quæ sit illa spes vocationis ipsius, & quæ opes gloriæ hęreditatis ipsius in sanctis; Et quę sit excellens illa magnitudo potentię ipsius in nobis qui credimus, secundum efficacitatem fortis roboris ipsius, &c. Est igitur agnitio hęc (vt verbo dicam) nihil aliud quàm illuminatio oculorum mentis, qua fit vt videant gloriam illam, quę in nobis inchoata est in hac vita, perficietur autem in altera. Quę ipsa illuminatio rursus, quid aliud est quàm fides Christi? Paulus Eph. 4. 24. ponit novum istum hominem in Iustitia & sanctitate vera: Quę duo si coniungantur cum hac, cuius hîc meminit, agnitione, novum hominem omnibus suis partibus absolutum reddent: vt sit novus homo, in mente, agnitio, in corde, sanctitas vera ac sincera, denique in manu & externis actionibus, Iustitia: vt nihil sit in homine, neque internum, neque

que externum, quod non inveſtiatur & operiatur indumento hoc novi hominis. Iam ſupereſt tertium quod conſiderandum propoſuimus, nempe ἀρχέτυπος & Imago ſecundum quam conditur & renovatur novus iſte homo: Eſt autem his verbis *Congruentè imagini, &c.*) Imago igitur eſt ipſius Dei, nam is conditor eſt: Ex ἀρχετύπῳ & imagine ſecundùm quam conditur novus homo, accedit homini inſignis gloria, & prærogatiuam habet ſupra reliquas omnes creaturas, quas legimus à Deo in principio creatas eſſe, Geneſ. 1. De nulla enim alia creatura illic dictum legimus, Faciamus hanc vel illam creaturam ad imaginem noſtram, Sed cùm ad creationem hominis ventum eſt, dicitur, Faciamus hominem ad Imaginem noſtram. Ad hanc autem gloriam accedit inſignis miſericordia, quòd poſt hominis lapſum denuò eum imagine ſua honoraverit, cū meritò redigendus fuiſſet in numerū belluarum, vel viliſsimarū. Sed hęc Dei miſericordia nunquā ſatis prędicari poteſt, quòd non modò renovaverit imaginē ſuam in homine penè deperdita, verùm etiam infinitis partib⁹ maiorē eam reddiderit, quā quę fuit in prima creatione

Multò enim plus recuperavimus in Christo Iesu quàm quod in Adamo amisimus. Postremo loco de secunda hac Regenerationis nostri parte observo, non satis esse ad hoc vt sistamur coram Deo, si exuti fuerimus veteri homine, nisi etiam novo fuerimꝰ induti, non enim nudos nos oportet comparere coram Deo. Vnde suprà cap. 1. vers. 22. dictum est Christum stiturum nos sanctos & irreprehensos coram Deo, & Heb. 12. 14. Sine sanctimonia neminem visurum Dominum.

Vbi non est Græcus) Hæc est proprietas quędam novi hominis, quod non sit προσωπολημπτης, neque respectum habeat personarum, hoc est, rerum externarum, carnalium, & veterum, vt vocantur. 2. Cor. 5. 7. quarum hoc versu certę aliquot sunt enumeratæ. Ex his prima est natio, qua fit vt vnus sit Iudæus, alter Græcus: At verò novus homo nullam habet rationem nationis cuiusque, vel Iudaicæ, vel Greçæ, sed ex çquo ad Iudęum & Græcum sese extendit. Secundam ex rebus externis & carnalibus faciunt notæ illæ, verbi gratia, Circumcisio nota & sacramentum Iudæi, qua distinguebatur Iudæus à Greço siue gentili, Præputium, nota Græci siue Gentilis,

tilis, quæ ipsum distinguebat à Iudæo: At verò novus homo nullum habet respectũ harum notarum externarum, sed ex æquo circumcisus & præputiatus eius fiunt participes, & regenerantur: Tertiam ex rebus externis faciunt linguę, nempe polita vna, Barbara altera, qua Græci & Barbari, vt Scythæ, distinguebantur inter se: At verò novus homo iuxtà habet Græcos & Barbaros, & vtrosque pariter renovat. Quarta ex rebus his externis & carnalibus sita est in conditione politica & civili, qua vnus liber est, alter seruus: At verò novus homo pariter pertinet ad vtrumque, neque hunc respicit magis quàm illum in regenerationis opere. Apostol. Gal. 3. 28. in his numerat sexum, quo vir à fœmina differt: At verò novus homo sexus non habet rationem, sed ex æquo vtrumque renovat. Eadem ratio est rerum quarumcunque externarum & carnalium, vt divitiarum, paupertatis, gloriæ, infamiæ, sapientiæ, insipientiæ, &c. quas omnes res novus iste homo iuxtà æstimat. Nota igitur: In negocio salutis humanę per Christum Iesum nulla est prosopolepsia, hoc est, in negocio vocationis, Iustificationis, glorificationis, nullus est personarum respectus. Quos e-

etiam vocavit nimirùm nos non solùm ex Iudæis, sed etiam ex gentibus. Rom. 9. 24. Iustitia Dei per fidem Iesu Christi manifestata est in omnes & super omnes credentes: Non enim est distinctio. Rom. 3. 22. Et hoc loco. Vbi est novus homo, hoc est, Regeneratio, ibi non est Iudæus, non Græcus, &c. Dico, in negocio salutis humanæ. Nam in politia & civilibus ratio habenda est personarum, vt regum, subditorum, liberorũ, servorum, tantumque abest Evangelium ab eo vt in politia tollat omnem ordinem & distinctionem personarum, regum, subditorum, dominorum, servorum, vt è contrà hęc ipsa stabiliat & sanctificet. Vnusquisque in qua vocatione vocatus est in ea maneat. Seruus vocatus es? ne sit tibi curæ. 1. Corinth. 7. 20. 21. Et quum Onesimus fugitiuus seruus venisset Romam ad Paulum, Christianus ab eo factus est, relegatus tamen est ad Dominum suum, vt ipsi serviret, commendatusque à Paulo Philemoni, vt frater quidem in Domino, sed vt seruus in carne. Vnde obserua: Cum in negotio salutis nulla sit personarũ exceptio apud Deũ profectò apud nos similiter nulla esse debet. Posthac neminem agnoscam secundum car-

nem.

sensi, hoc est, externa et carnalia illa (nempe in Christo & in negocio salutis) 2. Cor. 5. 16. Græcis & Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum. Rom. 1. 14. Quare in re Iustificationis, & Regenerationis non magis agnoscendus est princeps, quam populus, Dominus quam seruus, hoc est, non est ascribenda Iustificatio regi, quia rex est, & non est neganda populo, quia populus, & quia conditione inferior est: In politia quidem suus honos cuique tribuendus est pro modo a ratione sortis suæ: neque enim in Politia sunt omnia paria & æqualia, Rex honorandus præ populo, Dominus præ servo: Quoties tamen nova creatura venit in comparationem cum veteribus illis, omnibus præferenda est nova creatura: Imò lucra huius mundi pro damnis; imò pro stercoribus reputanda sunt respectu habito Christi, & novæ in ipso creaturæ. Philipp. cap. 3. vers. 8. Nota postremò in adventu Christi insignem omnium rerum totiusque vniuersi mutationem esse factam. Hanc paucis verbis complexus est Apostolus. 2. Corinth. cap. 5. vers. 17. Quisquis in Christo est nova creatura est: Vetera prætericrunt, Ecce no-

nova facta sunt omnia. Ecce, inquit, quia res est magnoperè advertenda. At dices, manent tamen adhuc vetera illa, vt gens, progenies, divitiæ, honores, forma, &c. Respondeo, manent quidem, quia in Christi primo adventu non est facta innovatio rerum omnium, quæ fiet in secundo ipsius adventu: Nam tum cessabunt ista omnia. Deinde manent ista, sed innovata, vel certè ita vt innovari debeāt omnia, nouus rex debet esse, novus populus, novus Dominus, novus seruus, &c. *Sed omnia est in omnibus Christus*.) Nunc docet quid habeat novus homo loco omnium illarum rerum externarum & veterum: Nempe Christum, & eum quidem solum habet: Vetus & externus homo multa & propemodum infinita habet: At novus & internus vno pro omnibus est contentus, & reipsa ille vnus Christus supplet vicem omnium, adeò vt vbi ipse est nihil desideretur, non genus, non forma, non gloria, non divitiæ, non sapientia, nihil denique. Atque sic nobis seriò existimandum est Christum nobis esse vice ac loco omnium istarum rerum. Christus, cum ei dictum est, Mater tua & fratres tui quærunt te, respondet, quæ mater mea? qui fratres? Quisquis

quis facit voluntatem Patris mei qui in cęlis eſt, is eſt meus Frater, & ſoror & mater. Mat. 12. 48. 50. Quod ſi igitur Chriſto nos ſimus frater, mater, ſoror, denique omnia, annon vel multò magis Chriſtus nobis eſſe debet frater, mater, ſoror, denique omnia. *Omnia*) In hoc verbo eſt cauſa cur vnus Chriſtus ſit novo homini vice omnium illam rerum externarum, nempe quia ipſe eſt omnia, hoc eſt, in ipſo habitat omnis plenitudo. Coloſ. 1. 19. In ipſo ſunt theſauri omnis ſapientiæ & cognitionis abſconditi. Coloſſ. 2. 3. In ipſo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Col. 2. 9. Ipſe factus eſt à Deo ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, redemptio. 1. Cor. 1. 30 At avarus deſiderat in eo divitiarum copiam, ambitioſus honorum, libidinoſus voluptatum, & mundanus quiſque præſentem hunc mundum? Reſpondeo: Hic agitur non de veteri homine, ſed de novo, qui contentus eſt ſpiritualibus, & in Chriſto quærit imprimis ſpiritualia. Deinde addo, quod ſi in Chriſto deſideremus aliquod ex his carnalibus, id habemus compenſatum benedictione multis partibus meliore. Qui vocatus eſt ſeruus hominis, liberti eſt Domini. 1. Cor. 7. 22. Poſtremò

dico

dico ne ista quidem mundana desiderari in Christo: Nam Domini est terra & plenitudo eius. 1. Cor. 10. 26. Et quærentibus primùm regnum Dei ac Iustitiam eius promittit Christus se adiecturum cætera omnia. Mat. 6. 33. *In omnibus*) Ne fortè diceretur, Quid ad nos quòd Christus sit omnia? Respondet, omnibus est omnia: hoc est quod suprà dixit cap. 2. 10. Postquàm de eo prædicavit omnem deitatis plenitudinem, continuò subiecit: Et in eo estis compleri. Notandum quod dicat omnibus, non quibusdam, vt Græcis tantùm, Iudæis tantùm. Nota enim generalis significat benedictionum Christi vniversalitatem, vt nemo possit queri se in Christo destitui gratia. Notandum rursus quod non dicat omnibus, sed id quod maius est, *In omnibus*) quo significat primùm ipsum Christum esse in omnibus, & vnoquoque inhabitantem, nimirùm in cordibus per fidem. Eph. 3. 17. Deinde illam eius plenitudinem in omnibus esse & singulis: Vbi enim est ipse Christus ibi est eius plenitudo: Atque hoc est discrimen inter nouum & veterem hominem, etiam regem. Vetus homo quisque, si quam habet sufficientiã terum, tam habet extra se, honores extra

se

se, diuitias extra se, alimentum extra se, & sic de cæteris, ac proinde illa sufficientia ipsius non est constans ac firma, vtpote in aliorum arbitrio posita: At verò nouus homo sufficientiam hanc habet in se, quum Christum ac plenitudinem ipsius in se habeat, non autem aliunde mutuetur. Ac quod Philosophus de se falsò prædicauit, Omnia mea mecum porto, id nouus homo de se verè potest prædicare, quum is Christum habeat in se, qui ab ipso nullo pacto separari potest. Quæstio est: Videtur hoc nimium quod hic fidelibus in hac vita tributum est, nempe Christum esse omnia in omnibus, cum Paulus. 1. Corinth. ca. 15. vers. 28. non dicat nisi in gloriosa demùm resurrectione futurum vt Deus sit omnia in omnibus? Responsio facilis est, Christus in fidelibus in hac vita est omnia in omnibus, inchoatè tantùm: At in beatis post resurrectionem Christus siue Deus futurus est omnia in omnibus perfectè. Rem hanc apertiùs explicabo. Vt sit Christus omnia in omnibus duo requiruntur: Primùm perfectio benedictionum Christi omnium; Secundò vt nihil sit præter Christum ipsiusque benedictiones in omnibus & singulis.

Iam

Iam verò etsi in fidelibus omnia Christi beneficia sint, tamen non sunt in perfectis gradibus. Deinde multa sunt in fidelibus præter Christum vt peccati reliquiæ Christo & gratiæ contrariæ. At in beatis post resurrectionem beneficia Christi futura sunt omnia in perfectis gradibus; atq; ita vnumquemque & omnes impletura, vt reliquiis istis peccati, quę nunc sunt in nobis, nullus futurus sit locus. Atque hæc hactenus de postremis his verbis: Ex quibus & alterum sequitur necessariò, nempe id quod legitur Galat. 3. 28. vbi eadem res tractatur, nempe omnes esse vnum in Christo Iesu. Quòd si enim Christus sit in omnibus, & Christus sit vnus, sequitur omnes esse vnum in eo: Rursus, quod si illa plenitudo Christi quæ est in omnibus vna sit, sequitur ergo omnes esse vnum. Atque hic finis est quem respiciunt Christus & novus homo, dum omnia illa vetera & externa, quę homines ab hominibus discernebant, tollunt è medio, nempe, vt ex omnibus hominibus vnum hominem faciant in Christo Iesu capite suo. Estque hęc beatitas nostra, quę est in hac κοινωνία & communione cum Christo & Ecclesia ipsius posita. Vt enim Dei ipsius & Trinita-

tis

tis glorioſę beatitas eſt in vnitate, quod vnum ſint, & vnus Deus natura & eſſentia glorioſa: Ita beatitas noſtra eſt in ſimilitudine Dei, in vnione cum Deo, & Eccleſia ipſius, qua fit vt vnus quaſi homo exiſtat ex Chriſto & Deo, ſimul & Eccleſia; Creatore beato, & creatura.

12 *Induimini igitur, vt electi Dei, ſancti & dilecti, viſceribus miſerationum, benignitate, modeſtia, manſuetudine, lenitate.*

13 *Tolerantes alij alios, & condonantes vobis mutuò, ſiquis adverſus aliquem habuerit querelam, ſicut & Chriſtus condonauit vobis, ita & vos,*

14 *Ad hæc autem omnia* induimini *charitate, quæ eſt vinculum perfectionis.*

15 *Et pax Dei imperet in cordibus veſtris ad quam etiam vocati eſtis in vnum corpus, & gratioſi eſtote.*

INduimini igitur vt electi) Hactenus exhortatus eſt ad mortificandum & deponendum membra, affectiones, vitioſos motus quoſcunque veteris hominis. Nunc viciſsim exhortatur ad vivificandum & induendum membra, affectiones, & ſanctos motus novi hominis, hoc eſt, ſan-

ſanctę qualitatis, quam depoſita impura illa & vitioſa qualitate & cõruptela naturæ induerunt. *Igitur*, inquit, ac ſi dicat, quum induceritis novum hominem & ſanctam qualitatem, ſimul induite eius motus omnes ac virtutes quas ex ipſo proficiſci oportet. Eſt igitur argumentum à qualitate, quę novus homo eſt, ad actiones, & motus inde proficiſcentes: Qualis enim eſt qualitas, quę cauſa eſt, tales debent eſſe motus inde promanantes. Et nova creatura poſtulat novam vitam ac virtutes omnis generis: Secus nova creatura dici non poteſt quę non producit niſi actiones veteres. *Induimini*) Verbum eſt ſumptum à veſtibus quę induuntur, vt anteà obſervavi, vt enim homo induit ſe veſtibus, ſic novum hominem oportet ſe induere virtutibus omnis generis tanquam veſtibus: Oportet autem ſic eas induere vt nunquam impoſterùm exuat. Nota, virtutes & actiones ſanctæ & Chriſtianę, eęque non vnius generis, ſed varię ac multiplices, ſunt novi hominis indumentum, idque non vnius, vt ſic dicam, coloris, ſed varii. Oportet enim indumentum novi hominis ſit inſtar tunicæ Ioſephi, quæ verſicolor fuit. Vita enim novi hominis eſt in ſocietate ho-

dominum, ſocietas autē hominum poſtulat virtutum ac morum diverſitatē. Nam qui miſeri ſunt poſtulant miſericordiam, qui egeni ſunt poſtulant bonitatē ac munificentiam, &c. *Vt electi Dei*) Ante virtutes quas poſteà numerat, inſerit argumenta aliquot quibus eos moueat ad induendū eas. Primum argumentum eſt ab electione eorum. Electio hîc eſt evocatio eorum ex tenebris in lucem Dei admirabilem, vt loquitur Petrus 1. Epiſt. 2. 9. Nam quemadmodum eſt electio ante tempora ſæcularia, Ita eſt electio in tempore quam vocationem dicimus, nihilq; aliud eſt quàm executio decreti electionis quę fuit ab æterno. Nota igitur, vocatio hęc noſtra chriſtiana poſtulat indumentū glorioſū. Lux enim hęc Dei in quā ſumus vocati poſtulat glorioſū veſtitū planèq; regium, cæleſtem tamē ac ſpiritualem ſpiritualiū virtutū ac gratiarū. *Sancti*) Secundū eſt argumentū à ſanctitate eorum, hoc eſt, ſancta qualitate quę nihil aliud eſt reipſa quā novus homo. Eſtaurē electionis ſiue vocationis efficacis effectū: tranſlati enim in lucem illā Dei admirabilem attrahunt quaſi colorē ex luce illa. Quemadmodū qui multum diuque in Sole hoc ambulant, inficiuntur à Sole

& colorem ab eo recipiunt: Ita qui in luce illa admirabili versantur necesse est mutentur aliquo modo à luce longè efficacissima: Estq; hic color quo inficiuntur nihil aliud quàm sanctitas, tam animi, quàm corporis. Observa igitur: Oportet sanctos Dei honorificè vestitos esse, vt qui prodeunt in cōspectum regis sui, qui non potest sustinere aliquid quod immundum sit. *Et dilecti*) Argumentum est tertium ab amore Dei quo ipsos est prosecutus. Primùm enim nos Deus dilexit quo tempore inimici fuimus ipsi, & dilectionem eius non sensimꝰ, & dilectionē illam in Christi Filii sui morte declaravit. Rom. 5. 10. deinde amorem illum suum effudit in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis Rom. 5. 5. tum nimirùm cum fidem Christi dedit. Ab hoc amore Dei dilecti appellamur. Nota igitur, oportet dilectos Dei honorificè indui ac investiri ad hoc vt dilectionem illam Dei in Christo tanquam mariti sui foueant ac retineant. Omnes enim volumus amatoribus nostris speciosi apparere, & vultu, & cultu, & modis omnibus: Annon igitur studendum est vt omnibus modis placeamus amatori nostro Deo? Cultus autem

qui

qui imprimis elegans est ac speciosus in oculis amatoris nostri Dei est amor proximi, vt apparet de iis, quæ deinceps enumerantur, virtutibus. *Visceribus miserationum*) Inter virtutes quæ indumenta sunt novi hominis primùm numerat misericordiam, qua fit vt cum patitur vnum membrum simul doleant omnia membra; sic enim eam nobis circumscripsit Apost. 1. Cor. 12. 26. Notandum quod non misericordiam singulariter, sed misericordias siue miserationes pluraliter appellet, quo significat oportere misericordiam multiplicem esse, vt multiplex est miseria hominum quorum miseremur. Deinde notandum quod non commiserationes simpliciter dicat, sed viscera commiserationum, quo significat oportere virtutem hanc misericordiæ internam esse, in ipsis visceribus ac cordis profundo insidere, indeque promanare. Est itaque indumentũ ac ornamentum, non tam oris, quàm cordis ac viscerum ipsorum. Necessitatem igitur novi hominis ornamentum primùm omnium est cordis atque viscerum, atque inde extendendum ac dilatandum ad reliquum hominem cæteraque membra. Necessitatem huius virtutis edocent atque

 osten-

ostendunt miserię quæ passim occupant membra Ecclesiæ in hac præsenti vita. Est enim hæc virtus misericordię accommodata ad miserias quibus quodammodò medetur. *Benignitate*) Hæc secunda est pars indumenti illius quod præscribit nouo homini: est autẽ benignitas, qua vtiles sumus proximo nostro, studemusque ipsius bono ac commodo. Vt misericordia cordis fuit indumentum, sic benignitas manus est quodammodò, quę pro facultate cuiusque extenditur ad benefaciendum iis quorum commiseretur. Quàm necessaria sit ad Ecclesiam & hominum societatem hęc virtus, defectus hic tantus rerum bonarum, tam spiritualium, quàm corporalium, qui passim conspicitur, satis admonet. Est autem benignitas virtus quę supplet quantum potest fieri illos defectus rerum bonarum. *Modestia*) Hęc tertia pars est indumenti novi hominis: sic autem hanc virtutem ex Paulo (Philip. 2. 3.) describimus, vt sit ea ex qua alium quisque præstantiorem se existimat: Ergo in hac virtute duo sunt: Primum est tenuis & vilis æstimatio sui: secundum, magna æstimatio aliorum. Ornamentum est totius hominis, tam cordis, quàm oris & omnium

gitę

ritę actionum. Necessitatem huius virtutis arguunt, tum vilitas naturę proprię cuiusque, quę adhuc reliqua est, tum gratia Dei in alijs, quę profecto magni facienda est in quocunque. *Mansuetudine*) Hęc quarta pars est indumenti novi hominis. Cernitur autē mansuetudo in suauitate quadā, tum sermonis, tum morū omnium, qua fit vt alijs simus amabiles, comes, affabiles: ornamentū est totius hominis, cordis, oris, actionū omniū. Necessarium hoc ornamentum, esse arguit natura communis omnium hominū, quę si asperius ac durius tractetur, fit deterior. Quamobrem Paulus iubet placidum esse erga omnes. 2. Tim. 2. 24. & alibi mansuetudinem etiam in coarguendo & reprehendendo cōmendat. Gal. 6. 1. *Lenitate*) Hęc quinta pars est indumenti novi hominis, siue quinta virtus qua induendus est novus homo: hac virtute plus quiddam continetur, quam precedente. Nam longanimitas est mansuetudo quędam etiam erga eos qui nobis iniuriu sunt, & nos offendunt. Ornamentum est totius hominis. Necessitatem huius virtutis arguunt iniurię, quę tot passim ab omnibus inferuntur, quę nisi tolerentur ab aliquibus

profectò necesse est omnes sese mutuò tandem consumant.

Tolerantes alij alios) Hæc est descriptio quædam proximæ virtutis, cernitur enim ea in tolerandis mutuò offensis & iniuriis. *Et condonantes*) Hæc est amplificatio quędam proximæ virtutis, & nova quædam virtus quę cernitur in condonandis mutuò offēsis & iniuriis. In remissione ac cōdonatione offensarū plus quiddā estquàm in lenitate: Nam fieri potest lenitas siue longaminitas sine remissione offensæ, vt cum quis non potest vlcisci iniuriam illatam sibi, vel cum non ducit expediens esse, vel denique non vlciscitur iniuriam aliqua de causa, cuius ipse conscius est, intereà animo ac memoria eam retinet, ac cupiditatem vindictæ non prorsus deponit. Remissio autem accedens ad longaminitatem planè obliuiscitur iniurię, & eam gratis condonat, vel, si iniuriam illatam persequitur, id facit legitimè coram Magistratu ac legitimo iudice. Intereà autem dum persequitur iniuriam, deponit ex animo omnem acerbitatem & vlciscendi cupiditatem, tantùm Iustitię causa, et in bonum etiam proximi, hoc est, in ipsius ædificationem iniuriam persequi-

tur

cur. Nam nonnunquam magis prosumus proximo nostro, si ei non parcamus, quàm si ei indulgeamus? Nō enim est ei indulgendum nisi in bonum, id est, ad eius ædificationem. Rom. 15. 2. *Sicut & Christus*) Ab exemplo Christi hortatur ad condonationem offensæ. Exemplum hoc Christi subiectum arguit, tum difficultatem huius virtutis, & quàm ægrè homines remittant offensas & iniurias sibi illatas, qui id non faciant nisi adducti exemplo tam efficaci & omni exceptione maiori: tum præstantiam arguit huius virtutis, quæ usque adeò necessaria est, vt sine ea non sit quis futurus particeps Christi & remissionis peccatorum per ipsum, præsertim ipso dicente Matth. 6. 15. Si non remiseritis hominibus offensas ipsorum, nec Pater vester cœlestis remittet vobis offensas nostras. Admonet præterea nullam esse virtutum omnium, qua magis repræsentetur in nobis Deus & Christus, quàm hæc gratuita offensarum remissione; adeò vt si velimus Christo esse similes, misericordes esse oporteat & faciles ad condonandum. Vt sit in nobis efficax hoc Christi exemplum, requiritur primùm omnium vt credamus in Christum, quod remiserit nobis

peccata nostra Deo, interveniente ipsius morte. Hinc fit vt Christus in nobis sit efficax ad imitationem sui. Deinde observa remissionem peccatorum esse penes Christum. Eph. 4. 32. dicitur Deus in Christo peccata remittere, vt Christus sit tam Deus ille qui remittit peccata, vtpote Dei Filius, quàm λυτρον siue pretium remissionis ac redemptionis nostræ. Ex his rectiùs sequitur, beneficium illud remissionis peccatorum charè Christo constitisse: Remittendo enim offensas satisfecit pro offensis & mortuus est. Quo differt remissio nostra, qua nos remittimus offensas nostras, à Christi remissione: Christus, vt dixi, conferendo beneficium remissionis pro eo mortuus est, id quod postulavit divina Iustitia. At nos quum remittimus fratri nostro peccata sua nihil patimur pro fratre, sed tantùm verbo conferimus beneficium: Vt nemo non videat quantus sit amor Christi in nos, dum remittit peccata nostra. Primùm enim ex ineffabili amore est quod remittat offensas: Deinde quantus est ille amor quo moritur pro nobis, ad hoc vt sit remissioni peccatorum nostrorum locus. Postremò nota, hîc Christum proponi nobis ad imitationem: Sed

quibus

quibus in rebus? non in operibus miraculosis, quæ fecit vt Deus, non in opere redemptionis & satisfactionis pro peccatis, quod Mediatoris proprium fuit, sed in operibus moralibus. Nam, vt prætermittam testimonia Scripturæ, quę passim loquuntur Christi exemplum sequendum in moralibus, in patientia, in misericordia, in condonatione offensarum, in mansuetudine, in humilitate, &c. vt, inquã, hæc prętermittã, Spiritus Christi non ad alia opera nos reformat ac renovat, quã ad hęc moralia, id quod in se sentit quisq; qui primitias accepit Spiritus sancti. *Ad hæc autem*) Hęc septima pars est indumenti quod suadet, siue virtutem septima quã induendã hortatur. Est autẽ charitas: Induite, inquit, charitatẽ: cũ autẽ vestis omnis superinduatur super quid induenda charitas? Induite (inquit) charitatẽ super hęc omnia, id est super prędcedentes omnes virtutes, vt charitas sit vestis extima. Scimus autẽ vulgò solere extimã vestẽ, quam superinduimus aliis vestibus interioribus, honestiorem simul & pretiosiorem esse. Quare cum charitas sit quasi extima vestis, & super alia vestimenta superinduatur, oportet omniũ, tum honestissima, tum pretiosissima sit, & quasi

forma quædam informans alias virtutes, adeò vt aliæ sine charitate informes sint & virtutum dumtaxat quædam simulachra. Inde est quod Apostolus 1. Corinth. cap. 13. ver. 1. & 2. &c. dicat donum linguarum, donum prophetiæ, donum scientiæ, donum eleemosynæ conferendæ, donum martyrii nihil nobis prodesse sine charitate. Nota igitur: In omni bona actione duo sunt. Primum est ipsa actio: secundum actionis forma modus & quasi habitus. Actio ipsa manus est, forma modusque cordis. Quod si cor malè affectum sit & expers charitatis, tum actio, alioqui in se bona, Deo tamen ingrata est, & nihil prodest, saltem agenti. Vnde Apostolus loco suprà citato: Nihil mihi prodest, inquit, &c. Quod si verò cor bene sit affectū & imbutum charitate, tum quidem actio Deo accepta evadit, & prodest non tantùm ei in cuius gratiam agimus, sed etiam ipsi agenti, reditque beneficium collatum in sinum quasi conferentis ipsum. Quamobrem induendæ sunt omnes actiones bonæ, sed ita vt super eas omnes induas charitatem, quæ reddit eas speciosas, formosas, Deo acceptas, & nobis ipsis vtiles.

Quæ

Quæ est vinculum) Subiecta quadam definitione commendat charitatem. Primùm vinculum appellat, ab effecto in vinciendo. Aliæ virtutes suprà enumeratæ vincula quoque sunt, quibus membra corporis inter se mutuò continentur; sed sine charitate superficiaria sunt duntaxat & hypocritica: Charitas autem vinculum est internum & efficax, quo vinciuntur inter se hominum corda, sic vt vnanimes evadant. Verbum συνδεσμος notandum est diligentiùs, quo significatur, non vinculum simpliciter, sed vinculum mutuum, quasi dicas, convinculum, quum vinculum cum vinculo coniungitur; sic vt amore prodeunte ex corde meo, amor vicissim prodeat ex corde tuo, & nexo quidã fiat ex mutuo amore. Secus enim amor, si vnius partis sit, non vincit inter sese homines. *Perfectionis*) hoc est, quod perficit atque consummat membra corporis inter se vnita. Nam quę vnum aliquod membrum desideret, cętera supplent. Vt enim in corpore humano propter coniunctionem singula membra perficiuntur, conferentibus inter se mutuam operam singulis membris: Sic in corpore Christi quę sunt dona, ea sunt non tantùm totius corporis, sed sin-

gulorum membrorum, propter vnionem illam: Nam licet vnumquodque membrum non sit per se præditum omnibus donis, tamen cum in illa sit coniunctione cum alijs, nullum est donum in aliis quod non cum eo aliquo modo communicetur. Vide 1. Cor. 12. 24. Deus simul temperauit corpus, ei cui deerat copiosore tributo honore, &c. Obserua igitur quomodò obtinebimus hanc perfectionem donorum & gratiæ quam omnes expetimus, nimirùm si coalescamus in vno corpore cum membris aliis: Ita enim fiet vt ab alijs suppleatur defectus quicunq; qui in vno aliquo est membro. Vnde sequitur, eum qui segregat se à reliquo corpore (se ac suis scilicet contentus) nunquam perfectum iri, neque in hoc seculo, neque in futuro.

Et pax Dei imperet) Hactenus de charitate. Nunc de pace & concordia, quæ octaua est virtus numero. Pacis nomine intelligo quietem & tranquillitatem cordis & affectuum omnium. Opponitur autem inquietudini cordis & affectuum. Pacem hanc suppeditat non natura, sed Deus ex gratia sua in Christo: Vnde pax Dei vocatur. Est autem pax Dei duplex. Primùm

pax

pax erga Deum ipsum, siue cum Deo. Secundò pax erga homines, siue cum hominibus. Pax erga Deum est pacatus animus erga Deum, sic vt non iam commoueant sese affectus in Deum: proficiscitur autem ex fide reconciliationis cum Deo, & Iustificationis per Christum Iesum. Iustificati per fidem pacem habemus erga Deum. Rom. 5. 1. Pax erga hominem est pacatus & tranquillatus animus erga hominem sic vt non amplius commoueat sese affectus in hominem: proficiscitur autem à pace quæ est erga Deum: Tranquillato enim & pacato animo erga Deum simul tranquillatur & pacatur erga hominem: hîc verò sermo est de pace quę est erga hominem. Monet autem vt hæc pax imperet, hoc est regat, gubernet, & in ordinē cogat inordinatos affectus. Sumpta videtur metaphora ab Agenothetis. Vbi autem exercere debet hoc imperium? *In cordibus vestris*, inquit, hoc est, ibi vbi habitant affectus sua natura turbulenti, inquieti, hominem ad iram & inimicitias prouocantes. Nota, postquàm enumerauit affectiones, & officia aliquot bona et honesta, tandē pacem commendauit tanquam affectuum gubernatricem

ac moderatricem: Vt discamus non esse locum bonis affectionibus & actionibus, nisi compescantur prius, & in ordinem cogantur inordinati cordis affectus. Quare qui velit prodesse aliquo modo proximo suo, eius misereri, ei benefacere, &c. primùm omnium cogitet de pacandis tranquillandisque affectibus: Quomodò enim locus esse potest amicitiæ nisi prius deletæ fuerint inimicitiæ. *Ad quam*) Quæ sequuntur verba continent exhortationis huius argumenta duo: Primũ est vocati estis ad pacem: Ergo sit ea gubernatrix in cordibus vestris. Argumentum est à vocatione hac nostra Christiana. Finis eius est vt in regno Dei, siue in Ecclesia, vivamus in pace: Vt enim vocantur homines in politia ad pacem colendam cum hominibus, Sic in regno Dei vocantur vt in pace vivant: Nam regnum Dei est Iustitia pax & gaudium per Spiritum sanctum. Rom. 14.17. Ergo qui non vivit in pace non est dignus vocatione ista: Imò verò arguit se nunquam serio vocatum esse. Alterum argumentum est his verbis. *In vnum corpus*) quasi dicat, Estis vnum corpus: Ergo pacem colite. Argumentum hoc expresse ac distinctè habetur, Eph. 4.4. vbi hor-

hortatur ad vnitatem animorum & pacem. Obserua igitur, Hæc ipsa coniunctio longè arctissima, quæ est in vno corpore Christi mystico, hortatur ad pacem & concordiam. Quid enim magis monstrosum est, quàm membra vnius corporis sicà se inuicem dissidere vt alia aliorum perniciem moliantur. Quamobrem qui non colunt pacem ii arguunt se, vel indignos esse corpore Christi, vel non esse omninò corporis illius membra. *Et gratiosi estote*) Hæc nona est virtus quam commendat. Est autem gratitudo, Superiores virtutes versabantur in beneficijs in proximum conferendis, hæc autem virtus versatur in acceptis beneficijs compensandis. Quare si cum superioribus comparetur omnium est minima. Minus enim est beneficium acceptum compensare, quàm beneficium gratis conferre. Quamobrem qui hac virtute & gratia destituitur, quid est boni quod habere possit? Vnde vulgò dici solet, Si ingratum dixeris omnia dixeris. Malus itaque est & expers gratiæ qui beneficium acceptum non compensat beneficio aliquo mutuo, saltem, si alia ratione non potest, grato animo. At multò deterior est qui beneficium in se collatum ma-

maleficio compensat. Longè autem optimus est qui maleficium beneficio compensat. Sed de gratitudine pro ratione præsentis instituti dictum sit satis.

16 *Sermo Christi inhabitet in vobis copiosè, cum omni sapientia, docendo & commonefaciendo vos metipsos psalmis, hymnis & canticis spiritualibus, cum gratia cantantes in cordibus vestris Domino.*

17 *Et quidquid egeritis sermone aut facto, in nomine Domini Iesu facite, gratias agentes Deo & Patri per eum.*

SErmo Christi inhabitet] Hactenus varias virtutes & officia Colossensibus commendavit, quæ totidem sunt partes inducendi novi hominis. Nunc comendat instrumentum illud Spiritus sancti quo ipse in cordibus, & prædictas virtutes atque gratias, & alias omnes, ingignit primum, deinde ingenitas auget & conservat. Est autem sermo Christi. Ut igitur singula verba ponderemus. Primum hæc efficacia tribuitur sermoni: Nam oratio quæ procedit ex ore non parum virium habet in animo audientis, tam in bonam, quam in malam partem. Sermo si corruptus sit & putris corrumpit animum eius qui audit: sin purus et sanus, sanat, purgat, & sanctificat animum audi-

entis

toris: Vode Apost. 1. Cor. 15. 33. postquàm meminit sermonis illius qui creber est in ore Epicureorum & libertinorũ, Edamus, bibamus, cras enim morimur, continuò subiecit, Ne errate, inquiens, Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Et Eph. 4. 29. De sermone sic præcipit, Nullus sermo corruptus egreditor ex ore vestro, sed si quis commodus est ad ędificationem vt gratiã afferat auditoribus. Quare ratio habenda est sermonis, cùm non sit in eo parũ momenti ad animũ efficiendũ aliquo modo, & ad mores, vel corrigendos vel corrũpendos. Sed de sermone in genere hactenus. Nunc videndũ cuiusnã sermo efficax sit ad gratiam omnem ingignendam animis. Num cuiusvis? Minimè: Nam expressè nominat Apostolꝰ sermonẽ Christi: Sermonẽ eũ qui efficax sit ad gratiã oportet spiritualẽ esse. Christi autẽ verba Spiritus sunt, & vita sunt. Ioh. 6. 36. & post ibidem ver. 68. Petrus ait, verba habes vitę ęternę In causa est, quia Dominus est Spiritus. 2. Cor. 3. 17. cum igitur Dominus sit spiritꝰ, & sermo eius spiritualis, sequitur eiꝰ sermonẽ efficacẽ esse in animis hominũ ad spiritũ, vitã, gratiã deniq; omnẽ iis ingignendã: est autẽ hic sermo christi tã efficax, nihil aliud

quàm

quàm Evangelium, quod est potentia Dei ad salutem cuiuis credenti. Rom. 1. 16. Evangelii autem primus praeco & minister fuit Filius Dei qui est in sinu Patris. Eph. 1. 18. vnde λογος appellatur: Amen, Amen tempus venies & nunc est, quum mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent. Ioh. 5. 25. *Inhabitet in vobis*) Hic habemus primùm vbi debeat habere locum sermo ille Christi, nempe non in auribus duntaxat hominum, sed intus in animis. *In vobis*) inquit, id est, in animis vestris: Non enim satis est si Scripturæ, quæ continent hunc sermonem, legantur, prædicentur, audiantur, nisi animis recipiantur, & de iis fit meditatio, sine qua virtutes & gratiæ, de quibus diximus, ingigni animis non possunt. Deinde habemus in his verbis tempus mansionis verbi Christi in iis quasi definitum. Oportet locum habeat & maneat in iis, non ad breue aliquod temporis spatium, quo exacto emigret & alio abeat, instar hospitis alicuius & ignoti, sed oportet habitet in iis continuò, instar domestici & familiaris, hoc est, de eo oportet sit meditatio assidua dies & noctes. Secus enim virtutes & gratiæ, de quibus suprà dictum est, conseruari

in

in animis nostris non possunt, sed vnà cum verbo Christi migrante è nobis necesse est & ipsæ emigrent. Nam sine præsentia Spiritus sancti & verbi assidua non potest quis perseverare in gratia. *Copiosè*) Hoc verbo habes mensuram & quantitatem quasi sermonis inhabitantis definitam. Sermonem enim inhabitantem in iis non oportet esse parcum, mutilum, mancum, vt partem vnam aliquam sermonis Christi, sed oportet esse locupletem & divitem. Danda enim est opera vt nihil contineatur in Scripturis sanctis quod non inhabitet quoque in nobis. Nisi enim quis abundet sermone Christi non potest abundare gratia. Et thesaurus ille gratiæ, quem suprà commendavit, nequit esse sine thesauro sermonis Christi. Vnde reprehendendi sunt Papistæ, qui subtrahunt Scripturarum lectionem & perfectam eorum cognitionem vulgo hominum, quos laicos vocant. Paulus enim non ad ministros tantùm verbi, qui Colossis erant, hoc est (vt cum iis loquar) ad clerum, sed ad vniversam Ecclesiam, imò vulgus hominum qui Colossis agebant, hunc suum sermonem dirigit. Reprehendendi etiam sunt ex his verbis prophani

isti qui, cum nihil sermonis Christi teneant, prædicare solent se contentos sola oratione dominica & Symbolo fidei, sibi satis esse illa principia Christianæ Religionis ad salutem: Scripturas autem ipsas & earum perscrutationem aiunt se lubenter remittere ad Ministros verbi, quibus hoc ex officio incumbit totos dies & noctes in iis voluendis & renovendis cōsumere. Annō intelligunt isti Apostolū admonere, vt, omisso illo qui in Christo rudes inchoat sermone, ad perfectionē feramur: secus enim fieri non potest, inquit, vt qui semel illustrati sunt gustaverintq; donū cæleste &c. si prolabantur, vt denuò renouentur per resipiscentiam, &c. Heb. 6. 1. 2. 3. &c. Id vulgò scimus quod si ignis semel excitatus non augeatur continuò, & nouo fomite admoto nutriatur, necesse sit eum decrescere, et in mortuos cineres recidere: Ita se res habet in igne illo ac luce verbi Dei semel in cordibus nostris excitata, quam necesse est vel minui, vel augeri, vel evanescere, vel crescere.

Cum omni sapientia) Verbis quæ sequuntur in versu reliquo habemus effectum sermonis Dei copiosè habitantis in iis: Est autem duplex: Partim effectum est in ipsis

ipsis in quibus habitat ille sermo, partim in aliis qui ipsos eum proferentes audiunt. In ipsis effectum est, vt ex verbo illo Christi sapiant: Id enim postulat sermo Christi & Scriptura, quæ potest sapientem reddere. 2. Timoth. cap. 3. vers. 19. Imò excellant in omni genere sapientiæ spiritualis ac cœlestis: Id enim postulat sermo Christi copiosè in iis inhabitans. Ex hac sapientia & cognitione rursus existunt omnes illæ virtutes & gratiæ in corde. Hinc damnantur isti qui de Scripturis sacris loqui solent Psittacorum more, non intelligentes, nihil inde fructus percipientes, & dantes quasi sine mente sonum. *Docendo*) Sequitur effectum in aliis: Nam nisi copia illa sermonis Christi, & ex ea sapientia plena, quæ in nobis ipsis est, in alios redundet, et alii ea meliores fiant, non habet suum vsum: Sapientia enim abscondita est quasi thesaurus absconditus. Neque verò metuendum est ne erogando continuò aliis nos ipsi pauperiores reddamur, & ditando alios nos ipsi depauperemur: cum hoc ipso augescant divitiæ hæ nostræ spirituales, quòd aliis eas impertiamus. Ideò Paulus. 2. Timoth. postquàm præcipit Timotheo. cap. 1. 14.

vt depositum illud præclarum conseruaret, non multò pòst. 2. 2. subiecit hæc verba. Ea quę audiuisti ex me inter multos testes, hęc committe fidelibus hominibus, qui sunt idonei ad alios quoq; docendos, &c. quibus verbis significat ita demùm conservari, adeoq; augeri, depositum illud præclarum, si cum quam plurimis communicetur. Sed redeamus ad effectum hoc in aliis. Est autem duplex: Primum est respectu mentis proximi: Secundum est respectu cordis & affectuum: Doctrina enim respicit mentem & intelligentiam, quæ instituitur in doctrina veritatis. Commonefactio verò respicit affectus qui aliquo modo commouentur & afficiuntur. Nota igitur sermonis Christi, & scripturarum multiplicem vsum, qui plenius explicatur. 2. Tim. 3. 16. Nota rursus non satis esse si quis ad mentem, vt sic dicam, auditoris loquatur, hoc est, ad eam informandam doctrina veritatis, nisi etiam ad affectus loquatur, hoc est, ad eos reformandos, ad affectum plus satis exaltatum humiliandum, ad affectum plus satis deiectum erigendum, denique ad applicandum doctrinam affectui quocunque modo, siue admonendo, siue adhortan-

tando, siue reprehendendo, siue consolando; Fateor istud ægrè ferre homines: Loquere, inquiunt, menti, sed abstine ab affectu, Sine eo ipse fruar pro arbitratu meo: Verùm hoc est in angustias redigere sermonem Christi, & eum quasi altera sui parte truncare, vt de aliis incommodis nihil dicam. *Psalmis*) Hîc commonefactionis modum præscribit: Est autem in genere in cantionibus. His enim erigitur affectus, & animus fractus & deiectus. Cantionis in genere aliquot species hîc numerantur, vt etiam in Epistola ad Eph. 5. 19. vbi ista iisdem verbis tractantur. Discrimẽ inter hæc tria vulgatum retineo, vt Psalmi sint cantiones sacræ varii argumenti: hymni verò cantiones quę laudes contineant: Cantica siue odæ, aut cantiones sic propriè dictę, particulares magis cantiones sint, quę & ipsæ laudes continebant, sed augustiore magis forma compositæ. Nota igitur in aliis commonefactionis speciebus sacras cantiones numerari, & vocis modulationem ad commonefaciendum & erigendum animos hominum pertinere, & à Deo datam esse homini ad ædificandum corpus Ecclesiæ. Si quis canticum habeat, &c. omnia ad ædificatio-

nem fiant. 1. Corinth. 14. 26. Quare damnantur qui modulatione vocis, siue naturali illa, siue artificiosa abutuntur ad corrumpendos hominum animos, & aures deliniendas.

Spiritualibus) Sequitur descriptio quædam sacrarum cantionum, quæ enumeratę sunt. Describuntur primùm à materia, deinde à forma, Tertio ab organo siue instrumento, quartò ab eo cui & in cuius gratiam cani debeant. Primùm itaque, quod ad materiam, oportet eas esse spirituales, hoc est, ex materia spirituali, vtpote profecta ex illis diuitiis sermonis Christi & Scripturarum, quæ penitus in corde sunt. Damnantur igitur omnes istæ cantiones quæ fiunt ex materia prophana & impia, eâque non vnius generis, sed varia & multiplici, quæ non ad commonefaciendum & ædificandum, sed ad destruendum & corrumpendum auditoris animum pertinent. *Cum gratia*) Hoc verbo habemus formam, quo significatur ea forma, in canendo & modulando quæ gratiosa sit, & gratiam adferat auditori. Hîc damnantur formæ cantionum leues, vanæ, lasciuæ, illæ denique quæ & verba & sententias obscurant, cuiuſ-

iusmodi sunt quæ in Ecclesiis Papisticis passim audiuntur. Nam quum maxima pars publici cultus Papistici sit in cantionibus (iisque ignota ac peregrina lingua vtpote Latina) decantatis, verba sic in canendo corrumpuntur & franguntur vt neque verba integra & plena audiantur, neque sententiæ intelligantur.

In corde vestro) Hîc habes instrumentum quo sit canendum maximè: Est autem non guttur, non lingua tantùm, sed cor imprimis & affectus animi, quod organon est suauissimum omnium & Dei auribus gratissimum. Multi tamen sunt qui gutture magis quam corde cantillent.

Domino) Hîc postremo loco habes eum cui & in cuius gratiam maximè sit canendum. Is est Dominus noster Iesus Christus: huic qui canit corde, & affectu canit. Et qui canit auribus Domini quasi deliniendis, is canit simul animis hominum ædificandis. Sunt tamen qui non Domino, sed hominibus, canant, ad demulcendum hominum aures. Hi inutiliter canunt, certè sibiipsis, si non alijs.

Et quidquid egritis) Occasione proximorum

tum verborum, quibus dixit cauendum esse Domino, præscribit omnium, tum factorum, tum dictorum, regulam generalem, nempe vt omnia fiant Domino, eius nomine & auspiciis, per eum, & in eum, atque eius gloriam: Similis regula est. 1. Cor. 10. 31. Siue editis, siue bibitis, siue quid agitis, omnia facite in gloriam Dei. *In nomine*, inquit, *Domini*, &c. hoc est, invocato primùm eius nomine, & ipso quasi actionum omnium præside & moderatore. Tum subiicit certam quandam actionum speciem, nempe gratiarum actionem, quæ fit Deo Patri: ne ea quidem sine Christo fieri debet, sed per eum tanquam mediatorẽ gratiæ sunt agendæ Deo Patri. Discę itaque nihil agendum esse, neque in gratiam hominum, neque in gratiam Dei, sine Christo, & sine respectu honoris & gloriæ ipsius, vel hoc solo nomine quod sit ipse Dominus. Quare in omnibus vt Dominus est agnoscendus. Dominiũ autem hoc sibi acquisiuit per mortem & resurrectionem suam. Ideò mortuus est & resurrexit & reuixit, vt & mortuis & viuentibus dominetur. Rom. 14. 9. & 2. Cor. 5. 15. Mortuus est & resurrexit pro nobis, vt qui viuunt posthàc non viuant sibi, sed ei qui

pro

pro ipsis mortuus est & resurrexit. Quid multis? Nihil absque eo vel benè, vel vtiliter fit, saltem in ipsius vsum qui illud facit. Nam dum ipse prodest aliis, non habita in agendo Christi ratione, nihil sibipsi prodest, sed operam suam planè deperdit. Hæc de regula ista hactenùs.

18 *Vxores, subiectæ estote proprijs viris, vt conuenit in Domino.*

19 *Viri, diligite vxores, & nesitis aduersus eas amarulenti.*

VXores subiecta estote) Hactenus exhortatus est in genere ad mortificationem carnis & novam vitam. Nunc sequuntur speciales exhortationes ad certas & particulares hominum conditiones pertinentes: nominatim maritos & vxores, parentes & liberos, dominos & seruos. Nam isti tres hominum status, siue ordines, inde à principio fuerunt principales. Ideoque scriptura in tradendis præceptionibus & præscribendis officiis, horum ordinum præcipuam habet rationem. Cùm autem in his ordinibus quidam sint superiores, quidam inferiores, ad inferiores primo loco exhortationem dirigit, nempe vxores, liberos, servos: Ratio videtur esse quia in-

fe-

feriorum conditio durior est & difficilior: Ideoque primùm admonendi sunt ne statione suam deserant, & informandi vt quod tenentur facere ex ordinatione divina, & quadam necessitate, id sponte, non autem coactè, velint subire: Nam spontaneos diligit Dominus: Sed accedamus ad verba textus. *Vxores* (inquit) *subiecta estote*) Hortatur primùm vxores & maritos, quia hic ordo inter homines primus erat. Adamus enim ante procreatos liberos vxorem Evam habuit. Officium quod vxoribus præcipitur est subiectionis, qua comprehenditur primùm obedientia; quæ facti est. 1. Pet. 3. 5. 6. dicuntur sanctæ illæ mulieres, sperantes in Deo, subiectæ maritis suis. Tum verbis sequentibus docet in quo sita sit hæc subiectio: Sicut Sara (inquit) obedivit Abrahæ: Ecce posita est primùm in obedientia qua pares viro mandanti & imperanti vxor. Quod autem ibidem sequitur proximè ostendit præterea subiectione ista comprehendi honorem qui verbo defertur marito, Dominum, inquit, eum appellans. Eph. 5. 33. Apostol⁹ præcipit vxori vt timeat siue reveretur maritum suum. Timor siue reuerentia est cordis. Ad subiectionem igitur

istam

iſtam tria concurrunt. Primò obedientia, quę facti eſt: deinde honor, qui in verbo eſt, honorifica nimirùm compellatio: Tertiò timor ſiue reuerentia, quæ cordis eſt. De ſubiectione hactenus. Nunc ſequitur in textu. *Propriis viris*) Hîc habes eos quibus exhibendum eſt officium iſtud ſubiectionis, nimirùm, non quibuſuis, ſed propriis maritis. Nam licet in genere ſexus virilis dignior ſit ſexu muliebri, eiq; præferatur, primùm creationis iure, Nam Adam primus creatus eſt, poſteà Eva 1. Tim. 2. 13. Deinde tranſgreſsionis cauſa: Nam mulier ſeducta primùm, ſeduxit virum. 1. Tim. 2. 14. Primus autem in defectione, poſtremus eſt in honore: licet, inquam, teſte Apoſtolo in genere ſit viri prærogatiua, tamen hoc loco officiũ hoc ſubiectionis non aliis, quàm maritis ſuis præſtandũ præſcribitur vxoribus, ſubeſtq; hoc loco occultè argumenti quædam ſpecies, à proprietate, ſiue, vt ſic dicam, proprietatis iure hoc modo, mariti ſunt in propriis ac peculiaribus bonis vxorum: Imò nihil eſt tam proprium vxori, quàm eſt maritus ſuus. Quare ſi quod proprium eſt ac ſuum, eius gratia quiſque lubenter faciat ac ſuſtineat omnia, profectò vxores de-

eſſe

esse officio suo, quod viris suis ac propriis debent, non oportet. *Vt conuenit in Domino*) Hoc loco modus præscribitur quo subiici debeant: est autem *In Domino*, quibus verbis duo sunt comprehensa. Primum vt vxores subiiciant se primùm Domino, ipsi obediant, ipsum honorent, ipsum reuereantur, ipsi credant ex præscripto primæ legis Tabulæ. Secundum vt propter Dominum & eius causa maritis suis subiiciantur, sic vt Dominus sit causa impellens ad hanc subiectionem, & sit subiectionis huius finis. Quod si causa Domini subiiciantur maritis, multa sequentur commoda: Primùm subiicientur in licitis tantùm & honestis, hoc est, in iis quæ consentiunt ipsius voluntati. Non enim tenentur vxores subiici maritis in illicitis, & cum Domini voluntate pugnantibus. Melius enim est parere Deo quàm homini. Act. cap. 4. vers. 19. Deinde hoc ipso quod subiiciuntur maritis subiicientur Domino adeoque magis subiicientur Domino quàm maritis ipsis: Nam quod Domini causa fit id Dominus æstimat sibi fieri, & pro cultu suo habet, licet secundariò & mediatè, nempe per homines medios. Vide de hac re. Eph. 6. 6. 7. vbi de seruis agi-

tur

tur. Tertiò habentes Dominum ante oculos & eius causa agentes, quicquid agent sincero & simplici corde agent. Postremò cum ipsis res sit, non tam cum hominibus, quàm cum Domino, mercedem suam non tam ab hominibus, quàm à domino reportabunt, id quod de servis dicitur. Eph. 6. 8. Nam miseri sunt, qui non alia spe omnia faciunt, quàm spe mercedis ab hominibus reportandæ. Atque hęc hactenus de subiectionis modo. Sequitur quarto loco argumentū. Est autē sumptū ab eo quod iustum ac æquum est. Æquitas autem ista est fundata partim in ordinatione divina quę lapsum hominis, & antecessit, & sequuta est, partim in lege naturæ, quę similiter & præcessit & sequuta est lapsum hominis: Partim denique in conscientia quam ipsę vxores sentiunt infirmitatis suę. Hęc tria efficiunt in muliere viri appetitum, qui ipsi præsit, & cui ipsa subiiciatur. Et illa verba Domini quę habentur Gen. 3. 16. Appetitus tuus erit erga eum & ipse tibi præerit; illa (inquā) verba pręsupponunt hęc tria; quasi dicat, Ex ordinatione mea, lege naturę, conscientia infirmitatis tuę, tu appetes virum, qui tibi pręsit. Quare quę non subiicitur

viro

viro ſuo, non vno modo peccat, peccat in Deum, peccat in naturã, peccat in conſcientiam ipſius: Quamobrem etiam oportet graue iudicium manere rebellẽ ac contumacem. *Viri diligite*) Hactenus de vxoribus: Nunc de viris præcipit. Primùm eſt hîc quod iubet, nempe dilectio, deinde eſt quod vetat, nempe amarulentia. *Diligite*, inquit) Subiectio vxoris poſtulat vt compenſetur viri dilectione ac cura, in rebus, non ſolùm huius vitæ, ſed etiam alterius. Hoc latiùs patet ad omnes, quorum alii præſunt, alii ſubiiciuntur: Vt enim ſubiectio & obedientia eſt inferiorum, ſic dilectio & cura eſt ſuperiorum. Non enim vult Deus vt inferiores obligentur ad officium, ſuperiores autem ſint ab omni officio immunes: Imò verò qui maior eſt honos, eò grauius impoſitum eſt iis onus. Sed vt ad maritos redeamus. Dilectionis huius maritalis nomine intelligitur quodcunque officium quod à marito vxori debetur; Ita tamen vt omnis officii initium ab interno cordis affectu ſumatur: Vnde vocabulo dilectionis hic expreſſũ eſt: quo ſignificatur affectus ſingularis, non autem vulgaris, & caſtus atq; ſanctus (vtpote qui fertur, non in ſcortũ, ſed in coniugem) &

de-

deniq; qui in vna vxore conquiescat, non autem vagetur, & cum aliis communicetur: nimirùm talis significatur affectus, qualis est Christi erga Ecclesiã suam, cuius exemplum est allatum. Eph. 6. 25. vbi eadem hæc dilectio viris præcipitur. Christus autem & multum, & tantùm, & castè sanctèq; diligit Ecclesiam suam. *Vxores*) nempe proprias, vt superiori versu: nam mutua est hoc loco proprietas. Vir vxoris propriũ quasi bonum, vxor viri, vicissim proprium quasi bonum: Id quod non habet locum in aliis rebus, quę ad nos pertinent, & nostri sunt iuris: Substantia enim nostra ad nos propriè pertinet, eamq; possumus nobis propriã vindicare. Sic hęreditas nostra nobis propria est, & propriam esse possumus prędicare: at non vicissim potest substantia, vel hęreditas nostra, nos tanquam proprium sibi bonum vindicare, nisi nos ipsi vendiderimus sub ius & dominum earum rerum quas oportuit nobis inseruire, vt auari quiq; faciunt. Cum itaque hîc mutua sit proprietas, oportet cõiunctionẽ inter virum et vxorẽ esse arctissimã: qualis nulla alia esse potest, nisi fortè extripias eam quę est inter caput hominis cuiusq; & suũ corpus, & eam, quę omni exceptione

maior

maior est, quę est inter Christum & Ecclesiam. Tres enim omnino sunt magnæ & præstantes coniunctiones: Prima omnium Christi & Ecclesię ac pii cuiusque, Secunda capitis & corporis cuiusque, Tertia viri & vxoris. Hic quoque obscurè subest argumentum à proprietate, vt suprà obseruauimus. Diligimus enim omnes ea quę ad nos propriè & peculiariter pertinent: Cum itaque vxor sit in bonis viri propriis sequitur diligendam esse à viro. *Et ne sitis aduersus*) Hoc est quod vetatur, nempe amarulentia: Natura omnes affectant dominatum & imperium in alios: At natura nemo potest ferre eam conditionem, quin abutitur natura quisque imperio, etiam quod habet in belluas, nedum in homines, & statim in tyrannũ degenerat. In causa est, quia quò altius quis euehitur supra alios, eo altiùs affectus ipsius euehitur supra ipsum: ipsumque sibi tanquam vilissimum seruũ subiicit. Quare vt præsit quis quærenda est affectus sanctificatio, vt sit maritus quęrendum vt sanctificetur affectus, vt sit parens quęrendum vt sanctificetur affectus, vt denique sit dominus quęrendum vt sanctificetur affectus, sine quia sanctificatione nihil

nihil moderatè geri poteſt ab eo qui ſuperiori aliquo loco eſt conſtitutus. Sed ad rem, amarulentia, hæc, vel eſt cordis, vel eſt externi geſtus, vt ſermonis, vt actionis. Quod ſi ſit cordis, tum exulat amor, & monſtrum exiſtit: Id quod planè ſignificat Apoſtolus Eph. 5. 29. dum dicit: Nemo odit ſuam carnem, id quod fieri non poteſt ſine monſtro. Quod ſi ſit geſtus exterioris, vel ſermonis eſt, vel actionis, quorum vtrumque non rarò contingit: Nam ſæpè viri diligunt quidem corde vxores, interim tamen verbo & facto in eas ſunt amarulenti. Amarulentię huius materia ſæpè eſt in infirmitatibus illis quę ſunt in ſexu illo tanquam in vaſe natura infirmori, ſed tamen non vacant culpa viri quos oportet eſſe ſcientes, vt loquitur Pet. 1. Epiſt. 3. 7 hoc eſt, ex prudentia & ſapientia tolerare infirmitates illas, vt Chriſtus tolerat Eccleſię ſuę infirmitates. Quod quidem ita intelligo vt interea eas corrigant & emendent, quemadmodum Chriſtus corrigit Eccleſiam ſuam. Atque hic eſt honor ille quem vxoribus à viris deferendum præcipit Petrus ibidem: honorare enim vxores, tanquam vaſa inferiora, nihil aliud eſt quàm infirmitates ea-

rum ex prudentia ſapientiaque tolerare, eaſque corrigere: Quod vt aſſequantur viri ante oculos perpetuò proponendum eſt Chriſti & Eccleſiæ ipſius exemplum, quod efficax eſt ad nos ex natura iſta peruerſa transformandos, & ipſi Chriſto Domino conformandos. Cui ſit omnis Gloria, Amen.

20 *Liberi, auſcultate parentibus in omnibus: hoc enim gratum eſt Domino.*

21 *Patres, ne irritate liberos veſtros: ne deſpondeant animum.*

Liberi auſcultate parentibus) Nunc de ſecundo ordine, qui eſt parentum ac liberorum, præcipit, ac primum quidem ſermonem ad liberos dirigit, vt quorum conditio ſit durior, ideoque opus habeant vt imprimis inſtituantur & informentur ad id obeundum ſua ſponte quod ex Dei voluntate, ac neceſſitate quadam, ipſis faciendum incumbit. *Liberi*, inquit) Nomen hoc liberorum commune eſt vtrique ſexui & virili, & muliebri: Liberi enim ſunt, tam fœminæ, quam maſculi. Quamobrem præceptum hoc ad vtrumque ſexum pariter dirigitur: Præterea, nomen ſignificat natos vel genitos: Quare præceptum hoc primùm

mùm ac præcipuè ad eos pertinet qui ex aliis nati, vel geniti ſunt: Secundo tamen loco pertinet ad eos quicunque Filiorum, vel Filiarum, nomen ſortiuntur, vt ſunt privignus, privigna, gener, nurus, &c. Ruth agnouit hoc præceptum ad ſe pertinere, quę omnem obedientiam, & pollicita eſt, & præſtitit ſocrui ſuæ Nahomi. Vide librum Ruth. *Auſcultate*) Hoc eſt, officium quod præcipitur, nempe obedientia. Eſt autem totius hominis, tam animi, quàm corporis. In animo eſt reuerentia erga parentes, vt qui in ſuperiori loco à Deo ſunt conſtituti. Reuerentia autem nihil eſt aliud quam agnitio ſuperioritatis, vel ſuperioris poteſtatis, à Deo ordinatę. In animo deinde eſt amor erga parentes vt qui natura vſque adeò nobis ſunt coniuncti. In animo denique eſt gratitudo erga eos, vt qui tot bona in nos contulerunt, priores, à quibus habemus eſſentiam, vitam, motum, & omnia proximè ſecundum Deum. In corpore autem obedientia eſt, quum liberi externa corporis actione, hoc eſt, ſermone, facto, totoque corporis geſtu, teſtificantur atque declarant interna illa de quibus dictum eſt. Paulus. 1. Timoth. cap. 5. verſ. 4. compenſationis meminit.

discant, inquit, liberi & nepotes exercere pietatem in propriam familiam, & vicem rependere parentibus. Hoc enim honestum est & acceptum coram Deo. Et paulò post vers. 8. Quod si quis suis & maximè domesticis non providet, fidem abnegauit, & infideli est deterior. Insigne exemplum compensationis habemus in Iosepho. Gen. 47. qui sustentauit Patrẽ suũ, et fratres suos, & vniuersam familiã Patris sui, cibum quasi inferens in os paruulorum. Hactenus de obedientia ista liberorum: Cuius præceptum, quod hoc loco & alibi passim habetur, satis arguit liberos, (quæ nunc est eorum corrumpta natura) in rebellionem propendere, adeò vt necesse sit eos contineri in officio diuinis admonitionibus, præceptionibus, comminationibus, & modis omnibus. *Parentibus*) Hoc verbo habemus quibusnam sit obediendum. Non quibuslibet sine discrimine, sed parentibus, hoc est, iis qui ipsos genuerunt, aluerunt et à quibus post Deum omnia acceperunt. Subest ergo in hoc verbo argumentum quoddam à natura ipsa, quæ efficax est etiam in Barbaris gentibus. De pietate enim liberorum in parentes leges multa apud prophanos authores; Efficax

est

eſt etiam in ipſis belluis, in Elephanto, in Ciconia, &c. Quod ſi ea debeat eſſe naturę efficacia, quantam oportet eſſe gratię et fidei, quę non abolet naturam hanc, ſed eam corrigit et ſanctificat. *In omnibus*) Hîc habes in quibus ſita ſit hęc odedientia, et quàm latè patere debeat, nempe ad omnia. Requiritur enim in hac obedientia primùm perfectio (vt ſic dicam) partium, hoc eſt, vt nulla ſit actio à parentibus mandata quam non obeant liberi, modò non pugnet cum voluntate cæleſtis Parentis. Hoc enim hic ſupponitur, vt et parentes imperent in Domino, et liberi pareant in Domino. Ergo excipiuntur hoc loco actiones pugnantes cum lege ac voluntate Dei. Reliquę ſunt primùm actiones quę à Deo mandantur expreſſè, quę obeundę ſunt ſi parentes iubeant. Deinde actiones mediæ et indifferentes quę non expreſſè mandantur à Domino. Hę quoque obeundę ſunt ex voluntate parentum, etiamſi ſæpè graues ac moleſtę fuerint. Nam non eſt pertinaciter reſiſtendum parenti, niſi cum imperat quę cęleſtis ille Pater prohibet in verbo ſuo. Requiritur deinde in obedientia liberorum perfectio graduum (idq; etiam his verbis

innuitur) vt nimirum vnaquæque actio tota sit & perfecta, hoc est, & animo, & corpore obeatur, non autem cum obmurmuratione, disceptatione, & contradictione, hoc est coacta & imperfecta, qualis non rarò solet esse liberorũ obedientia erga parentes suos. *Hoc enim gratum*) His verbis habes argumentum quo mouet liberos ad hanc obedientiam : Est autem ab eo quod gratum sit Domino. Gratum autem est quia iustum: Id quod habes pro argumento. Eph.6.1. Vbi obedientia liberis præcipitur. Iustum autem est, quia secundum legem fit. Lex autem est ab ipso Deo lata: Honora Patrem tuum & Matrem tuam, &c. Sed vox græca εὐάρεστον non gratum modò significat, sed pergratum Domino, & imprimis acceptum: id autem declaravit ac significavit ipse Dominus, primùm eo quod mandatum de honorandis parentibus proximè post mandata quæ erant de ipsius cultu proprio subiecit. Deinde quod specialem quandam promissionem huic mandato addidit, vt sis, inquit, longæuus, super terram quam Dominus Deus tuus dedit tibi . Vt facile videas proximè post cultum Dei proprium & immediatum hoc officium liberorum

in parentes ſuos Deo eſſe gratiſsimum. Vt autem Deo gratiſsimum eſt ſi obediant liberi parentibus ſuis, ſic Deo ingratiſsimum eſt, ſi parentibus rebelles fuerint. Idcirco rebellionem hanc omnibus ætatibus ſeueriſsimè eſt vltus. Id multa exempla Iudiciorũ Dei oſtendunt, vt Iudicium Chami, Iudicium Abſolonis, Iudicium Abimelechi, qui interfectis fratribus omnibus ſummo dedecore Patrem ſuum Ierubaal affecit. Vide librum Iudicum. Hanc ipſam Dei iram convincunt illæ cõminationes quę in Scripturis extant in rebelles parentibus: Vt Exod. 21. 15. 17. Qui percutit Patrem ſuum, aut Matrem ſuam, Item qui maledicit Patri ſuo aut Matri ſuę, omninò morte plectitor. Deut. 27. 16. Maledictus qui vilipendit Patrem ſuum aut Matrem ſuam. Proverb. cap. 30. Oculum qui irridet Patrem aut ſpernit obedientiam Matris corui torrentis effodient.

Patres ne irritate) Hactenus præcepit liberis. Nunc vicisſim parentibus præcipit: Nominatim autem Patribus: Nam hi ſunt ferè qui irritant liberos ſuos, & in eos ſeueriores ſunt: Quod enim ad matres attinet, amor earum tenerior eſt, &

peccant ferè in contrariam partem, liberis nimiùm indulgendo. Patribus autem præcipit ne irritent, vel provocent ad iram liberos suos: Vt enim liberi peccant in parentes, sic vicissim peccare possunt parentes in liberos suos: si natura propensiores sint parentes in liberos, Tamen, vt nunc post lapsum corrupta est natura & viciata, amor naturalis non rarò vertitur in odium, & clementia in seueritatem. *Ne irritate*) Hoc est, ne ad iram provocate, vt loquitur in eundem sensum Apostolus. Eph. 6. 14. Quasi dicat Apostol⁹, liberi vestri adeò propendent ad iram, atque vos ipsi, nam genuistis eos ad imaginem vestram, secundum omnes affectus, & eos quidem corruptos: Quare non mirum cum vos exceditis modum in ira aduersus eos, si illi vicissim provocentur ad iram. Porrò irritantur liberi pluribus modis, vel quum imperant parentes quod pugnat cum voluntate Dei, vel quum contumeliis eos afficiunt, & conuitiis lacessunt, vel denique cum seuerius verberant. Omnium istorum modorum habes insigne exemplum. 1. Sam. 20. 30. & deinceps. Vbi Saul accumbens mensę vnà cum Ionathane filio, & conuitiando, & quod impium

fuit

fuit imperando, & haſtam in eum torquendo, ſic Filium ad iram provocavit vt ipſe ſe ſubduxerit è conſpectu Patris. *Liberos veſtros*) Quaſi dicat, eos quos genuiſtis adeoque etiam veſtra ipſorum viſcera. Latet enim in verbo argumentum ab ipſa natura, quę abhorret ab illa agendi ratione: quod ſi natura abhorreat quantò magis gratia? *Ne deſpondeant animum*) Argumentum eſt prohibitionis, non quidem à malo aliquo quo viciſsim affecturi ſunt liberi parentes ſuos (Nam illud ne nominandum quidem putavit Apoſtolus: quod tamen hac poſtrema & peſsima mundi ætate tam frequens eſt & vſitatum) Argumentum eſt igitur, non à malo quo liberi Patres ſuos ſunt compenſaturi, ſed à malo & detrimento ipſorum liberorum, qui provocati ad iram à Patribus, & ſeuerius agitati ab iis, ſolent animum deſpondere, & ſupra modum dolere: Quo enim nobis coniunctior eſt qui nos iniuria afficit, eò grauiùs id ferre ſolemus, Parentibus autem quos Deus dedit liberis tanquam aſylum quoddam & perfugium, quo ſe recipiant quoties ab aliis iniuria afficiuntur, quis eſt liberis coniunctior? Quamobrem quum parentes liberos afficiunt iniuria, neceſ-

necesseest id iis sit molestissimum, & adigat eos nonnunquam ad desperationem. In summa nemo est omnium tam efficax ad liberos, vel seruandos, vel perdendos, quam sunt ipsi parentes. Perdunt autem eos duobus modis. Primò quum in eos seueriores sunt, Secundò cum iis nimium indulgent: Nam qui pareit virgę odit filium, Prov. 13.24. Seruant autem eos vno modo, nempe quem Apostolus. Eph. 6. 4. prescripsit, quum dixit, Enutrite eos in doctrina & monitis Domini: quibus verbis significat educationem liberalem & sanctam.

22 *Serui, auscultate per omnia ijs qui domini sunt secundum carnem, non obsequijs ad oculum exhibitis, vt qui hominibus placere student, sed cum simplicitate cordis, timentes Deum.*

23 *Et quicquid feceritis, ex animo facite, tanquam Domino & non hominibus.*

24 *Scientes vos à Domino recepturos mercedem hæreditatis: Nam Domino Christo seruitis.*

25 *Qui verò iniuriam intulerit, referet iniuriam quam intulerit: neque est personarum respectus.*

Serui

Serui auſcultate p(er) omnia) Poſtremò ad Dominos & ſeruos deſcendit. preſcribitque iis quæ ipſis ex officio facienda ſunt: Ac primo loco ſeruos alloquitur. Seruorum nomine hoc loco intelligit propriè, non mercenarios, qui ſunt hodierno die, ſed eos qui, vel in bello erant capti & ſeruati, qui mancipia dicebantur, vel precio empti, in quos poteſtas vitæ & necis dominis erat permiſſa legibus ipſis. Deinde eos ſeruorum nominatim alloquitur qui initio converſi erant ad Chriſtum & facti Chriſtiani. Poſtremò qui ſeruiverunt dominis prophanis ac infidelibus, ac proinde duris ac moroſis. Ex his non pauci audita illa Chriſtiana libertate ſiniſtrè eam ſunt interpretati, & gratiam in laſciuiam tranſtulerunt, ac ſi Chriſtus adventu ſuo aboleuiſſet politiam omnem qua continentur Reſpublicæ. Ideò reiecto & excuſſo ſeruitutis iugo ſeſe ipſi in libertatem conati ſunt vendicare, quo factum eſt vt Evangelium malè audiret in initio. Ad hos itaque imprimis & propriè ſermonem ſuum dirigit Apoſtolus, ſecundo autem loco ad ſeruos cuiuſcunque ſortis & conditionis, ſiue ii ſint ſerui propriè dicti, ſiue mercenarii.

Auſ-

Auſcultate) Hoc eſt officium quod ipſis præcipit, nempe obedientia. Officium in genere ſubditorum erga ſuperiores poteſtates vocatur honor. Honora, inquit, Patrẽ tuum & matrem tuam. Honor autem conſtat duabus potiſsimùm partibus, Reuerentia quę in verbis & toto geſtu cernitur. Obedientia quę in factis. Vtraque verò oportet ex animo proficiſcatur: Ex his Apoſtolus toto hoc loco potiſsimùm còmendat obedientiam, Liberi, inquit, obedite, Et nunc, ſerui, inquit, obedite: Cauſa eſt quia pars eſt illius honoris difficilior ac moleſtior: Reuereri enim verbo & geſtu facile eſt, at mandatis quę ſæpè duriora ſunt parere, difficile eſt: Ergo illam officii partem quę durior eſt & grauior præcipit Apoſtolus hoc loco: Non nego tamen ſub obedientia tanquam potiori parte contineri illam reuerentiam. *Iis qui domini ſunt*) Hoc eſt, iis quos vobis præfecit Deus. Hoc ipſum Domini nomen ſatis efficax eſſe debet ad commendandam obedientiam, quum non modò ſuperiorem poteſtatem, ſed etiam Dei ordinationem importet. Omnis anima ſuperiori poteſtati ſubiecta eſto, &c. Rom. 13. 1. *Secundum carnem*) Hæc eſt limitatio quędam domini

ac

ac poteſtatis humanę; qua ſubobſcurè adducta conſolatur ſeruos, vel eo quod non ſit in ipſos Dominorum ſuorum abſoluta (quam vocant) poteſtas. Dominos igitur vocat ſecundum carnem, hoc eſt, ſecundum corpus & corporalia iſta, in quæ dominis tributa eſt à Deo poteſtas, ius & authoritas: non ſecundum Spiritum, animam, vel conſcientiam, vt ſcilicet erigentes ſibi ipſis thronum in conſcientiis hominum in eas tyrrannidem exercerent, & ipſis pro arbitratu ſuo imperent: hoc enim eſſet poteſtatem abſolutam habere. Vnus autem eſt Dominus qui abſolutam habet poteſtatem et qui poteſt animam et corpus perdere in gehenna. Matth. 10.28. Qua nobrem hoc loco vt præcipit obedientiam quę eſt ſecundum carnem: ita vetat pariter obedientiam et ſubiectionem quę eſt ſecundum Spiritum et conſcientiam, vt quod apertè prohibet. 1. Cor. 7. 23 Nolite, inquit, fieri ſerui hominum, nempe quoad animam, vel conſcientiam. In ſumma vt dicam, duo ſunt in ſeruiendo et obediendo extrema mala et vitia, vna autem virtus in mediocritate poſita: Primum vitium in extremo eſt, ſi recuſent ſerui o-

bę-

bedientiam, quoad carnem et corpus. Id quod docent faciendum Anabaptiſtę hodierno die, invehentes ſcilicet quantum in ipſis eſt in orbem terrarum αναρχιαν, & horrendam omnium rerum confuſionem. Domini, inquiunt, quibus parendum eſt, vel impii ſunt, vel pii: ſi impii, non eſt parendum iis, ſin pii, tum fratres ſunt, adeoque ęquales. Vtrunque hoc falſum eſt, & quòd impiis non ſit parendum, quia impii, & quòd piis non ſit parendum, quia fratres. Nam, vt de hoc poſteriori primùm dicam, Annon Paulus Oneſimum fugitivum illum ſeruum, iam factum chriſtianū & fratrem ſeruum Domino ſuo Philemoni remiſit, vt denuo ei inſeruiret. Nam quod dicit ibi de eo recipiendo, non iam vt ſeruo, &c. verſ. 16. non ſic intelligendum eſt ac ſi non ampliùs ipſi eſſet ſeruiendum, ſed ſenſus eſt recipiendum eum eſſe, non tantùm vt ſeruū, &c. vt verba ſequentia facilè convincunt. Impiis verò dominis etiam parendum eſſe manifeſtum eſt ex illis Apoſtoli verbis. 1. Corinth. 7. 21. Seruus, inquit, vocatus es ne ſit tibi curę. Quod apertiùs præcipit Petrus 1. Epiſt. 2. 18. Famuli ſubditi eſtote cum omni-

ti-

timore dominis, non ſolùm bonis & æquis, ſed etiam prauis. Alterum vitium & extremum ſeruitutis eſt, ſi tradant ſerui ſub poteſtatem hominum conſcientias ſuas, quas ſibi ſoli reſeruavit dominus. In quo peccant miſeri Papiſtæ hodierno die, qui patiuntur Antichriſtum, belluam nimirum illam Romanam, tyrannidem in conſcientias ſuas exercere. Vide 2. Theſſal. cap. 2. verſ. 4. Virtus autem in ſeruiendo eſt. Hæc quam iſto loco præcipit Apoſtolus. Serui obedite Dominis veſtris ſecundum carnem. Quare parete ſecundum carnem, & tolerate etiam iniurias quæ fiunt in corpus & carnem. Hactenus fuit præceptum obedientiæ, deinceps hoc verſu & ſequenti obedientiam quam præcipit circumſcribit, primùm ex materia, rebus nimirum in quibus ſit obediendum, deinde ex forma, Tertiò ex fonte ipſo actionum omnium.

Per omnia ijs qui domini ſunt) Hic habes materiam & res in quibus ſit obediendum, Omnes in vniverſum res & actiones: non aliquas, ſic enim obedientia eſſet mutila & imperfecta, quæ non placet

placet Deo, sed omnes et quascunque res, etiam graues ac molestas, quę mandantur à dominis. An etiam impias, dixerit aliquis? Respondeo, limitata iam ipsorum dominorum potestate, quę est secundum carnem, non conscientiam et animam, satis intelligi non esse parendum in iis rebus quę pugnant cum conscientia et Dei voluntate, siue non esse tradendam conscientiam siue animam in dominorum potestatem, sic vt ipsi ea abutantur contra voluntatem Dei, imperando quę Deus prohibuit. Interea tamen hoc verbo cauetur ne serui voluntatem suam ipsorum fabricent sibi regulam actionum suarum et obedientiæ suę, verùm sequantur normã et prescriptum dominorùm suorum, etiam molesta grauia et dura imperantium. Quod autem seruis sit parendum Dominis etiam grauia et molesta imperantibus satis apparet ex verbis illis Christi quę habentur. Luc. cap. 17. 7. 8. 9. Quis, inquit, vestrum habet seruum arantem aut pascentem qui ingresso ab agro dicat statim, prodi, ac discumbe? Imò, nonne dicet ei, Para quod cœnem, et precinctus ministra mihi vsque dum edero ac bibero, et postea edito tu ac bibito? Nunc gratiam habet ser-

uo

voilli, quia fecit quę ipſi præcepta erant? Non puto. *Non obſequijs ad oculum)* Nunc formam obedientię præſcribit ac primùm quidem docet qua forma & modo non ſit obediendum, deinde qua forma modoque ſit obediendum. Non obediendum eſt obſequiis ad oculum exhibitis: Inter cætera vitia quæ in obediendo & ſeruiendo ſunt & hoc quoque numeratur, quod ὀφθαλμοδουλειαν vocat, quæ eſt quum ſerui non oculis Dei, non tam ipſis perſonis dominorum inſeruiunt in ipſorum commodum, quàm oculis eorum ita vt dum domini præſentes intuentur ac vident quid rerum geratur diligentes ſint in opere, ſed vbi primùm obverterint terga ſua vel omninò ceſſent ab opere, vel ſi aliquid agant, quod malum eſt & dominis ſuis pernicioſum agant. De hoc genere ſeruorum vide Matth. 24. 48. 49. dum loquitur Chriſtus de ſeruo malo, qui poſtquam peregrè abiit dominus, apud animum ſuum dicit, Tardat dominus meus adventum ſuum, Incipit que verberare conſervos, quin etiam edere & bibere cum ebriis: Adverſus quem deinde graue iudicium denunciat: Huic, illo in loco, comparat reprobum & hypocritam. *Vt*

quibominibus) His verbis dissuadet illũ serviendi & obediendi modum quem dixit, quasi dicat, hoc est, eorũ qui studeant placere hominibus, Assentatorũ & Parasitorum. Quare sic non est obediendum. Nota igitur, assentator quisque, & qui non Deo, sed hominibus studet placere in obediendo domino suo, nunquam diligens & fidus reperietur. Nam fidelitatis erga homines principium est studium placendi Deo primùm, non hominibus ipsis. Quamobrem qui velit delectum servorũ facere, delegat sibi eum qui studet placere Deo primùm, non hominibus, & qui Deum ipsi præferat, & non nisi propter Deum ipsi seruiat. *Sed cum simplicitate*) Hic est serviendi & obediendi modus quem præscribit. Est autem vt serviant cum simplicitate cordis. Simplicitas cordis contraria est ὀφθαλμοδουλεία de qua proximè, adeò vt quisquis inservit tantùm oculo domini sui is non cum simplicitate cordis inseruiat, sed animo ficto ac fraudulento, qui sese prodit statim vbi tergum obuerterit, & sese ex conspectu ipsius receperit dominus. Contra autem quisquis cum simplicitate cordis obedit is non minus est diligens ac fidelis absente quàm presente &

in

inſpectante domino ſuo. *Timentes Deum* Hic modus eſt quo aſſequentur ſimplicitatem illam quam dixit cordis, nempe ſi timeant Deum: Timor enim Dei cauſa eſt ſimplicitatis ac ſinceritatis cordis, & qui timet Deum is cum ſimplicitate cordis obedit homini. Quamobrem qui velit delectum boni ſerui facere deligat ſibi eum potiſsimum quem putat timere Deum potiùs quàm ipſum, timere autem ipſum propter Deum.

Et quicquid feceritis) Nunc fontem & principiũ ipſũ omniũ actionũ aperit, nempe ipſam animam, non manum, non externa corporis organa, ſed animam cum omnibus affectibus quos oportet ad quamcunque actionem bonam conſpirare in vnum & à quibus initium eſt faciendum, vt deinde ad manũ & corporis organa veniatur; ſecus profectò ipſa actio mortua eſt, & inaniſma, adeoque ipſe homo qui agit cenſetur animę expers, & inter beſtias, quę cum ſeruiunt vſibus hominum, id non dicuntur facere ex animo, numeratur veriùs quàm inter homines.

Tanquam Domino) Hic modus eſt quo fiet vt ex animo omnia faciant, nempe ſi inter agendum putent ſe non tam ſervire

hominibus, quàm ipsi Domino Christo: Id autem fiet si intereà voluntatis Domini rationem habeant, faciantque quia ipse vult. Cum enim inter agendum aliquid, etiam in gratiam hominum, habemus respectum voluntatis Domini, ipse Dominus acceptat quod facimus. non aliter quàm si esset immediatus ipsius cultus. Nota igitur solum Christi seruum esse, qui ex animo aliquid facit alicuius causa. Quamobrem qui velit delectum facere boni ac fidelis serui eligat sibi eum quem existimat Christi seruum esse.

Scientes vos à Domino) Sequuntur argumenta quibus suadet hanc, quã præscripsit obedientiã: Primum est a promissa mercede hæreditatis: non ab ipsa mercede sed mercedis promissione: nam promissionẽ oportet præcedere mercedem, & nos oportet prius pendere ex promissione quàm re ipsa fruamur. Indignus enim est vita qui non credit promittenti vitam: Seruus indignus est mercede, qui non spe promissæ mercedis obedit suo domino: Promittitur ergo merces reportanda: Sed à quo? non ab hominibus, sciuit enim Apostolus omnem hominem mendacem & fallacem esse; verùm à Domino quem sci-

vit fidelem esse & mentiri nescium. Qua in re habent serui materiam lætitiæ, etiam cum fraudantur debita mercede à dominis suis : Nam certa est merces Christi Domini. *Hæreditatis*) Hîc habes ipsam mercedem quæ sit futura. Futura est, non ea merces quam capiunt mercenarii à terrenis dominis suis (exiguum nescio quid & evanidum) sed futura est hæreditas, eaque æterni regni, in cælis, non in terris posita. Quamobrem qui serui sunt Christi iidem Dei Filii sunt. Nam non sunt hęredes nisi Filii: Quodsi Filii etiam hęredes, &c. Rom. 8. 17. Hîc rursus habent fideles serui materiam lætitię ex magnitudine mercedis. Merces enim hæc, vt certa est, ita magna est. Sunt autem hoc versu duo argumenta quibus probat iis mercedem illam reportandam. Primum est ab ipsorum scientia, vel conscientia. *Scientes*, inquit, *&c.* Ipsa enim conscientia futuræ mercedis confirmat nobis & probat eius certitudinem. Nota igitur, impossibile esse vt fides & spes futuræ vitę nos frustretur. Spes non pudefacit. Rom. 5. 5. Secundum est ab eo quòd servi sint Christi. Nota igitur, mercedem necessariò repositam esse iis in cælis qui in hac vita Christo serviunt: Non

quòd ea sit dignitas vel meritum operum nostrorum, sed quia ipsi ita videtur. Ne time pusille grex, nam visum est Patri vestro dare vobis regnum. Luc. 12. 32. Ex εὐδοκία igitur est & mera sua gratia, quòd det mercedem: vt non sit quod adversarii meritum operum ex hoc loco concludant. *Qui verò iniuriam intulerit*) Secundum argumentum præcepti, per occupationē. Dici potuit à seruis, at intereà multas perferimus iniurias & multis malis afficimur à dominis nostris? Respondet Apostolus in genere, qui iniuriam intulerit referet iniuriam: Ex quo speciem colligere facilè est, dominus qui iniuriam intulerit in vos servos, referet iniuriā. Nota, quòd si seruus benè egerit, Domino Christo inservierit, reportabit mercedē hæreditatis: quod si iniuriam passus fuerit, Dominus referet iniuriā ei qui intulerit. Hoc in genere pertinet ad omnes cuiuscunq; generis homines. Nam omniū benefacta cōpensabuntur mercede vitę æternę & iniurię iis illatæ vindicabuntur, dici enim non potest quàm curæ sint Domino qui sunt sui, etiā infimæ sortis homines. Videri posset merces hęc hæreditatis & vitæ æternę satis copiosa esse seruis, etsi iniurię iis illatę nunquam

quã ſint compenſandę: at non ita videtur Domino, qui non ſatis putat eorũ benefacta compenſare mercede vitę æternæ, niſi etiã eos quos in hac vita non pœnituit iniuriarum ipſis illatarũ, ipſis preſentibus & intuentib⁹ in inferos deturbet. Hoc enim poſtulat ipſius erga ſuos amor, & erga impios odium. Etiam in hac vita ſæpè ſic punit hoſtes Eccleſię & perſecutores vt eorũ miſerabilem ruinam ſiccis oculis non poſſunt intueri pii, quorum mos eſt benedicere iis qui ipſos inſectantur, & precari pro iis qui ipſos etiã occidunt etiam intereà dum occidunt, vt Stephanus quum Iudęi ipſũ lapidibus obruerent, clamavit voce magna, Domine ne ſtatue iis hoc peccatũ. Act. 7. 60. Ergo merces piorũ duplex futura eſt, primùm compenſatio benefactorũ, deinde compenſatio iniuriarũ illatarum. Quare conſtanter & patienter facienda & ferenda omnia Dei cauſa. *Neque eſt perſonarum*) Nihil hîc expreſſè de eo qui vlturus ſit iniurias, ab iniuſtis dominis ſervis illatas. Sed hæc ratio addita ſatis oſtendit quem vltorẽ ſignificet, nempe Deũ hoc enim eſt ipſius propriũ, non accipere perſonas hominũ: ergo dum cũ ſolatur ſervos adverſus iniurias à dominis ſuis illatas

non remittit eos ad ſuperiores aliquos inter homines Dominos, & iudices, qui iniurias illatas ab inferioribus Dominis vlciſcantur: Scivit enim Apoſtolus quàm corrupti ſint homines in iudicando, maiorem habentes rationem perſonarū quàm rerum, & æquitatis ipſius vel iniquitatis: Verum remittit eos ad eum qui iuſtè iudicat, & perſonas hominum non accipit. Quemadmodum paulò antè dum promiſit mercedem, eam à Domino Chriſto reportandam dixit; Ita nunc dum promittit vindictam iniuriarum, eius authorem fore Deum ſignificat. Qua re oſtendit fiduciam ſuam in Deum, & certam de eius fide & iuſtitia perſuaſionem. Nam qui novit Deum & fiduciam ſuam in ipſo collocat, Deus bone, quàm multa audet aliis de eo polliceri, viciſsimque ipſi, ſi eum cognitum habeant, quàm ſit natura iuſtus, miſericors, potens, ſapiens, &c. dici non poteſt quanta cum auiditate promiſsiones illas omnes arripiant, & quaſi totas devorent, ineffabili cum lætitia atque gaudio. Tanti momenti eſt Deum ſemel perſpectum & cognitum habere, quis ſit naturâ, quàm iuſtus, quàm potens, quàm miſericors in Chriſto Ieſu. Sed redeo. Argumentum

tum eſt certæ vindictæ à natura Dei iuſtiſsima, quod non ſit acceptor perſonarum. Hanc eſſe Dei naturam non vno in loco pronunciat Scriptura. 2. Chro. 19. 7. Iob. 34. 19. Act. 20. 34. Rom. 2. 11. Gal. 2. 6. Eph. 6. 9. &c. Perſonas intelligo non ipſas hominum ſubſtantias, ſed qualitates & conditiones adventitias, cuiuſmodi ſunt genus, forma, diuitiæ, honores, ſapientia carnalis, &c. Deus inter iudicandum has non acceptat aut reſpicit. Perſona autem quam ſolam acceptat eſt interna, nempe Chriſti iuſtitia fide apprehenſa, vel Chriſti ſanguis, quo aſpergitur peccator, dum ſiſtit ſe coram tribunali Dei. Hanc perſonam (vt ſic liceat eam vocare) ſolam acceptat propter ſe, propter eam autem, tum perſonas noſtras, tum actiones noſtras, & bona noſtra opera accepta habet, dum nimirum hæc Chriſti perfectiſsimâ iuſtitiâ tecta atque induta prodeunt in Dei Iudicis conſpectum. Quamobrem nemo præfidat his externis, ne externa quidem vocatione Chriſtiana, dum ſiſtit ſe coram tribunali Dei. Sed induat ſe Chriſto, ipſius Iuſtitia, ipſius ſatisfactione, atque adeò ipſius pretioſo ſanguine totum ſe illinat atque tingat. Sic enim fiet vt

poſ-

posit consistere coram illo tribunali. Nam in illo solo sanguine conquiescit Dei ira. Non est pretereundum hoc loco quod ad Eph. 6. 9. vtatur hoc ipso argumento à iustissimâ Dei naturâ, quæ personas hominum non acceptat, tanquam terrore quodam ad movendum dominos ad hoc vt faciant officium suum. Quo igitur terret dominos, eodem illo consolatur seruos: vt discamus nihil in Deo esse tam terribile iis qui alios affligunt & impiis, quod ipsum non ministret consolationem afflictis, & piis, qui securè delitescunt sub alis Iustitiæ & iræ diuinæ, quam tantoperè exhorrescunt impii, & qui in alios tyrannidem exercent. Vt meritò dici possit piis nihil in Deo esse præter summam suauitatem & misericordiam.

ARGVMENTVM CAP. IIII.

Huius capitis partes sunt sex. In prima parte est vltima exhortatio specialis vers. 1. In secunda reuertitur ad exhortationes generales, interiectis specialibus à vers. 18. præcedentis capitis interruptas, in quibus immoratur ad vers. 7. In tertia parte significat se credidisse res suas primatas Tychico & Onesimo coràm exponendas ad vers. 10 In quarta parte sunt salutationes, tam missa, quàm rogata, ad vers. 16. In quinta parte obiter specialia quædam Colossensibus præcipit. In postrema parte salutatione sua Epistolam concludit

CAP.

CAP. IIII.

1 *Vos domini, æquitatem & æquabilitatem ſeruis exhibete: ſcientes vos quoque habere Dominum in cælis.*

VOs domini æquitatem & æquabilitatem, &c.) Viciſsim hortatur dominos ad officium erga ſeruos ſuos mutuum: Exhibete, inquit, hoc eſt officium quod dominis præcipit: Eſt autem vt exhibeant. Præceptum huius officii poſtulat partim ſeruorum conditio tenuis et indigens, partim tenacitas dominorum, qui ſeruis ęgrę aliquid largiuntur. Quamobrẽ Apoſtolus, quaſi medius intereedens inter dominos & ſeruos monet dominos vt in ſeruos ſuos aliquid erogent. Notandum: Suprà ſeruis fidelibus promiſit mercedem hæreditatis. Nunc verò præcipit dominis vt ſeruis quod debent exhibeant: Quare merces illa ęternę hæreditatis non pręiudicat mercedem iſtam temporariam, qnę à dominis debetur ſeruis ſuis. Contrà verò, vel hoc ipſo quod ſerui hæredes ſint regni cæleſtis, debent dominі lubentiùs aliquid rerum terrenarum in eos conferre: hæredes enim regni cæleſtis ſunt pariter hæredes terrenorũ bonorũ: Et Pet. 1. Epiſt. 3. 7. ſuadet maritis officium ſuum erga vxores

ideò

ideò quod hæredes sunt vnà vitę æternæ. *Æquitatem*) Hoc illud est quod seruis exhibendum est. Primum quod iustum est, hoc est, merces illa de qua conventum est & pactum inter dominos & seruos: Iustum enim est eam reddere. Secundò exhibendum est quod æquale est: hoc verbo significatur aliquid præterea, nempe quum in rependenda mercede habetur ratio non obedientię & seruitii simpliciter sed omnium circumstantiarum, rerum in quibus obedientiam præbent, formę & modi quo obediunt, vt si ex simplicitate cordis, si ex animo obediant. Tum enim reddendum est, non iustum modo, sed æquale: Vnde. 1. Pet. 2. 18. Dominorum traditæ sunt duę proprietates, Primùm quod iusti sint, deinde quod boni siue benigni ac liberales. Notandum suprà quum promisit seruis mercedem à Domino, non iustam eam dixit, aut etiam æqualem, hoc est, non præscripsit certum mercedis modum, sed hæreditatem dixit, hoc est, mercedem præscripsit copiosam, imò infinitam. Ex quo nota discrimen inter mercedem quam tribuunt terreni isti Domini, nempe id quod iustum est vel æquale, & eam quam tribuit Dominus ille ex-

leſtis; qui non dimetitur nobis exile neſcio quid & modicum, ſed liberaliſsimè nobiſcum agit, vt cum Filiis ſuis. Ex quo ſequitur & alterum, nempe mercedem iſtam terreſtrem eſſe debitam, cæleſtem autem illam non eſſe debitam: id quod vel ſolum illud hęreditatis nomen ſatis arguit. Hæreditas enim eſt quę ex benevolentia datur liberis à parentibus ſuis. *Scientes vos quoque*) Hoc argumentum eſt à cęleſti Domino qui non eſt προσωποληπτης, ſed iniurias dominorum in ſeruos vlciſcitur. Vt enim domini faciant officium in ſervos ſuos oculi eorum ſubinde erigendi ſunt ad Dominum illum qui ſupra ipſos longè eminet, cuius metu contineri eos neceſſe eſt. Quòd enim ſæpe in tyrannos degenerent terreni domini, in cauſa eſt, quòd non eleuent oculos ſupra ſe, ſed ſe duntaxat intueantur, ſeſeque admirentur. Sed ponderanda verba *Scientes*, inquit, Opus eſt dominis ſcientia: Cuius autem rei? quod habetis. Quid autem habent? Dominum. Opus eſt dominis iſtis omnibus cognitione Domini ſui: vbi autem eſt ille Dominus omnium dominorum? *In cælis*, inquit) Ergo ipſe longè ſupra eos eminet, & ipſi longè infra eum reſident, & tantum

inter

inter ipſos intervallum eſt quantum eſt inter ſupremos cælos & terram quàm habitamus. Addit eos etiam habere hunc Dominum. *Vos quoque habere* inquit) quâ particulâ parem eſſe eorum cum ſervis conditionem ſignificat. Nam quemadmodum alii reſpectu ipſorum ſerui ſunt, Ita ipſi pariter reſpectu Domini illius ſupremi ſerui ſunt, & ſerui ſunt reuera viliores reſpectu ſupremi illius Domini: quàm ſunt alii, etiam viliſsimi, reſpectu ipſorum, cùm ipſi vnà cum aliis in terris his pariter degant, cæleſtis autem ille Dominus thronum ſuum longè ſupra ipſos in cælis poſitum habeat. Atque hæc de verbis hactenus. Hoc vnum addo poſtremo loco. Suprà quum ſeruis præcepit, argumentis vſus eſt quibus ipſos ſuauiter mouit ad officium faciendum: Nunc verò quum dominos admonet officii ſui horrorem iis iucutit: Vt ſciamus aliter atque aliter agendũ eſſe cum aliis atque aliis, prout cuiuſq; fert conditio, Aliter cum ſeruis & oppreſſis quibuſuis, aliter cum dominis & ſuperbis agendum eſſe: opus autem habere terrenos iſtos principes ac Dominos terroribus quibus impellantur ad officium ſuum faciendum. Dominatus enim & imperium

perium ferociores reddit homines, vt qui naturâ inepti ſunt adeò ad imperandum vel ipſis belluis.

2 *In precibus perdurate, inuigilantes ijs cum gratiarum actione:*

3 *Precantes ſimul etiam pro nobis, vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis, vt loquamur myſterium Chriſti, propter quod etiam ſum vinctus:*

4 *Vt*, inquam, *illud pateſaciam ſicut oportet me loqui.*

IN precibus perdurate) Hactenus inſerta ſunt ſpecialia aliquot prȩcepta ad certas quaſdam hominum conditiones ſpectantia. Nunc reuertitur ad generales paræneſes: Et his verbis hortatur ad preces. De præcum ac orationis cauſis non opus eſt dicamus pluribus: Accurata enim tractatio orationis ad locorum communiũ doctrinam pertinet. Tantùm in præſentia ſciendum, & prȩceptum Dei, & promiſſionem, & neceſsitatem, ac inopiã noſtram, & denique copiam illam, quæ in Deo eſt rerum omnium, tam temporariarũ, quàm ȩternarum, flagitare vt precemur Deum. Precari autẽ Deum nihil aliud eſt quàm ab eo mendicare, vt ſi nihil aliud eſſet quòd doceret nullũ eſſe operum noſtrorũ meritũ, ſed omnia gratis nobis donari, vel ſola

hæc

hæc precatio & oratio pro argumento eius rei, satis esse possit. In textu duas precum qualitates siue proprietates exigit, prima est vt perseuerent in oratione, vel vt oratio sit assidua, ac sine intermissione, id quod postulat primùm inopia nostra, quæ assidua est, & nullo tempore nobis non debet ob oculos versari: id certè vel imprimis postulat defectus sensus illius quem oportet esse inopiæ nostræ, qui profecto inopiam efficit longè periculosissimam. Quare vel hæc sola sensus indigentiæ ac miseriæ nostræ inopia nos vrgere debet ad perseuerantiam. Deinde perseverantiam postulat Dei illa quæ nobis videtur esse tarditas ad respondendum nobis ac petitionibus nostris. Nam Deus de industria non statim nos audit, & petitionibus nostris satisfacit, vt exerceat fidem ac patitentiam nostram, quod profectò sepenumerò bonum est nihilo minus quam est illud ipsum quod petimus. Nam perseuerantia in precibus donum est Dei. Quare his de causis in precibus perseuerandum, id quod ipse Christus præcipit. Luc. 18. 1. Oportet semper orare. Et Apost. 1. Thess. 5. 16. Semper orate. *In ipsa vigilantes in ijs)* His verbis est altera illa pre-

cum

precum quam postulat proprietas, nempe in precibus ardor ille & feruor, qui opponitur frigiditati & oscitantiæ, quod vitium est precum nimis frequens, & quæ causa est cur Deus preces nostras sæpè non exaudiat. Nam quò maior in præcibus ardor est eò propior Deus est ad auxilium ferendum & ideò differt opem suam vt precum sit ardor & fervor. Hæc duo si cõiungantur in precibus perseuerantia & feruor siue intentio spiritus, fieri non potest quin efficaces sint. *Cum gratiarum actione*) Cum precibus coniungit gratiarum actionem. Non enim oportet sic occupari sensu præsentis necessitatis vt anteactorum Dei beneficiorum planè simus immemores, neque etiam, si exaudiat Deus petitiones nostras, sine gratiarum actione ex eius manu beneficium recipere debemus: Imò verò, etsi non statim audiat, tamen non oportet de eo queri, aut aduersus eum murmurare, sed cum patientia & gratiarũ actione expectare tempus, quod ipse præstituit nobis nostrisque precibus audiendis, contenti vel solo illo perseuerantiæ in precibus dono. Nam beneficium Dei est rarum ac singulare. Quod si preces cum gratiarum actione coniunctæ fuerint

necesse est minimùm impetremus à Deo pacem illam, quę superat omnem intellectum, vt ea sit pręsidio cordibus nostris & mentibus nostris in Christo Iesu. Philip. 4. 7.

Precantes simul pro nobis) Nominatim horhortatur vt pro se orent Deum: Id quod in tanto Apostolo argumentum est insignis modestię, quod oportet imitari quotquot sunt in Ecclesia Pastores, etiam alioqui donis excellentissimis præditi. Nam quum commune sit omnibus sanctis, etiam infimis, donum illud sacerdotii, quod in eo positum est vt offerant prętces Deo, tam pro se, quàm pro aliis, profectò ne infimę quidem sortis Christiani contemnendi sunt, sed eorum pro nobis preces seriò sunt flagitandę: Fieri enim non potest vt frustrà iis concessum sit à Deo illud donum, & frustrà vocati sint ad illud sacerdotium. Habent quoque Ecclesiæ documentum quoddam officii illius mutui quod ab ipsis Pastoribus suis debetur, Quemadmodum enim Pastores tenentur pro Ecclesiis precari, ita vicissum tenentur Ecclesiæ pro pastoribus suis orare, idque, non tantùm pastorum ipsorum, sed suo etiam bono. Notandum deinde

quod

quod dicat, *Simul etiam precantes pro nobis*) Verba enim hæc præsupponunt preces pro seipsis iam primùm conceptas, vt deinde sit locus precibus pro aliis, nominatim pro Paulo. Neque hoc immeritò: Nam qui se ipsum non potest iam primùm precibus suis sanctificare, is aliis prodesse non poterit. Et prophanus quilibet, cui nihil curæ est sua salus, quomodò sollicitus erit de salute aliorum? Qui non credit ipse quomodò alios adducet ad fidem? Credidi, inquit Apostolus. 2. Corinth. 4. 13. & ideò loquutus sum.

Vt Deus aperiat) Commendat iis preces, non tam suâ causâ, quàm Evangelii sibi concrediti, vt discamus Evangelium magis sibi curæ fuisse quàm seipsum, libertatem Evangelii, quàm libertatem suam. Is enim est zelus piorum, vt pro libertate Evangelii sese libenter offerant vinculis, & iam vincti non tam solliciti sint de vinculis suis, quàm de libertate Evangelii. Præterea hæc Pauli solicitudo & cura, quam in vinculis habet, Evangelii & libertatis ipsius, arguit non paruam difficultatem esse in liberè loquendo & prædicando Evangelio temporibus persecutionum

Imò non minorem eam esse arguit phrasis ista Apostoli quam quę est in perrumpendo per ianuam vel ostium clausum & obseratum : Inde est quòd tam seriò flagitet ab iis vt pro se orent Deum, vt velit aperire sibi ostium sermonis. Significat enim ostium illud sermonis perpetuò occlusum manere & obseratum difficillimis illis temporibus, nisi seriò cum Deo agatur ad ipsum reserandum & aperiendum. Sed considerandæ sunt verba, *Vt Deus*, inquit) Apertionem ostii, non homini, (ne Neroni quidē, qui ipsū tum in vinculis detinebat) sed soli Deo tribuit, vt sciamus penes solum Deum esse largiri donum hoc παῤῥησίας & libertatis in prędicando Evangelio, adeò vt si ipsi visum sit aperire os, etiam eius qui quàm arctissimis vinculis constringitur, nemo sit qui possit ei os claudere. Paul. 2. Timoth. 2. 9. dixit se afflictum ad vincula, sed addidit, sermonem Dei non fuisse vinctum. Rursus si ipsi visum sit os cuiusquam claudere nemo mortalium sit qui possit ei os aperire, ad hoc vt liberè eloquatur Evangelium Dei: vt agnoscant omnes hoc donum παῤῥησίας à solo Deo pendere, ab eoque petendum esse. *Ostium sermonis*) Non dixit ostium

um carceris, illius nimirùm in quo tum vinculis reſervabatur, ſed oſtium ſermonis, hoc eſt, os ipſius ex quo ſermo profluit: Maiori enim cum gaudio ipſorum Paſtorum aperitur ipſis os vt liberè loquantur & prædicent Evangelium Chriſti, etiam in vinculis, quàm ſoluuntur vincula quibus conſtricti aſſervantur: cum maiori etiam Eccleſiæ commodo id ipſum fit. Nam aperto ſemel ore fidelis paſtoris, etiam vincti, neceſſe eſt non fruſtrà id fiat, ſed oportet ſermo ille profluens ex ipſius ore ſimul adaperiat aliorum corda: vt ſoluto iam & aperto ore Apoſtoli ad prædicandum Evangelium adapertum eſt cor Lydiæ. Act. 16. 14. *Vt loquamur*) Hic finis eſt apertionis oſtii ſermonis, nempe vt aperto iam illo oſtio loquatur myſterium Chriſti. Quid incluſum ſit hoc myſterio tanquam involucro indicat, dum addit, (Chriſti) Chriſtus enim & inſcrutabiles ipſius opes & ſapientia Dei de eo, quàm Deus præfinierat ante ſecula in gloriam noſtram, in hoc myſterio latent quaſi occultæ & abſtruſæ. 1. Cor. 2. 7. Hic autem finis quem affert apertionis oſtii ſermonis continet argumentum cur pro ipſo ſit orandum. Dignitas enim rei quam eloquu-

turus, est postulat vt precibus suis intercedant apud Deum: Nam vel solum hoc tanti mysterii nomen in se satis argumenti habet, cur omnes obnixè petere debeant à Deo vt iis quibus concredita est dispensatio huius mysterii aperiatur ostium sermonis, vt ipsum possint liberè eloqui. Cælari enim tantùm mysterium indignum est, quod non cælatur & occultatur sine summo detrimento mundi, & iactura salutis humanæ. Quamobrem, siue dignitatem, siue necessarium vsum huius mysterii respicias, nunquam satis orare Deum possumus vt ipsum in lucem proferatur. *Propter quod*) Hoc alterum argumentum est quo ipsos mouet ad orandum non tam sua, quàm mysterii huius causa. Est autem ab ea afflictione quam ipse pro hoc mysterio patitur, quòd nimirùm pro eo vinctus sit. Quod si ipse afflictus sit & vinctus pro eo, an ii rem magnam sunt facturi pro eo, si liberi vinculis pro vincto orent Deũ, vt liberè in vinculis eloquatur hoc mysterium? Quod si quis nolit pro iis precari, an fieri potest, vt is pro Evangelio lubens vnquã affligatur. Hìc obiter quoque remouet scandalum vinculorum suorum: quod hæc vincula, Evangelii sint vin-

vincula, afflictiones, vt ad Timotheum loquitur. 2. Timoth. 1. 8. Evangelii afflictiones. Afflictiones quidem in se & suâ naturâ probrosę sunt, sed Evangelium, cuius causa patimur, suâ gloriâ tegit totum hoc probrum, redditque ipsa vincula glorioſa: Imò potentiâ suâ sic vinctos & afflictos corroborat atque sustentat, vt ipsi in mediis afflictionibus & persecutionibus, imò morte, seriè triumphent. Quare vel ipsæ afflictiones martyrum solæ arguunt gloriam, dignitatem, veritatem, potentiam Evangelii.

Vt nunquam illud) Locutionem illam quam dixit mysterii Christi ipse exponit manifestationem ipsius. Moses & Prophetæ locuti quidem sunt hoc mysteriũ Christi, sed ipsum non patefecerunt & aperuerunt: neque enim nondũ patefacto Christo illud patefacere potuerunt: at verò Apostoli, manifestato iam in carne Dei Filio, mysterium illud patefecerunt. Hoc est, quod dicit Apost. Ephes. cap. 3. vers. 8. 9 Evangelizaverunt inscrutabiles illas opes Christi, & notum fecerunt omnibus quæ sit communio mysterii à sæculis absconditi in Deo: vno verbo, mysterium in Evangelium commutarunt. Mysterium enim

enim & Evangelium Christi non differunt re, sed ratione tantū. Mysteriū enim nihil aliud est quàm Evangelium occultū & absconditum, Evangelium verò nihil aliud est quàm mysteriū patefactū & evolutum, sic vt illę opes Christi quę prius in mysterio latebant in lucem proferantur, & omnibus inspiciendę proponantur. Discant igitur hoc loco ministri verbi & dispensatores illius mysterii quonam modo loquantur hoc mysterium Christi, caueant ne de eo loquantur omninò, nisi ipsum patefaciant; ne ipsum manu attingant nisi tanquam periti artifices involutum possint evoluere, hoc est, quod dicit Apostolus nisi possint cum evidentia loqui & cum demonstratione Spiritualis potentię; 1. Cor. 2. *Sicut oportet*) Meo iudicio his verbis non tantùm decorum quod observandum est in patefaciendo illo mysterio, sed etiam necessitatem indicat de qua. 1. Cor. 9. 16. Et enim si Evangelizē non est quod glorier. Necessitas enim mihi incumbit, vę autem mihi est nisi Evangelizem. Quamobrem necessitate quadam patefaciendum est hoc mysterium iis qui eius dispensationem acceperunt, patefaciendum, inquā, totum, neque de eo quidquam silendum,

Vt

Vt Paulus Act.20.27.Non ſubterfugi(inquit) quominus annuntiarem vobis omne Dei conſilium: hanc neceſsitatem ſibi impoſitam ſi omnes miniſtri Evangelii agnoſcerent,&(*Væ*)illud ſibi impendens ſi non evangelizent,& patefaciant myſterium illud Chriſti,ſeriò expenderent, Deus bone, quàm ſolliciti eſſent de Evangelio prædicando, idque cum euidentia & demonſtratione ſpiritualis potentię, & quàm ęgrè ferrent παῤῥησιαν hanc & libertatem in annunciando Evangelio ſibi ab vllo homine eripi? Rurſus verò ſi hanc ipſam neceſsitatem evangelizandi & liberè loquendi Evangelium Chriſti miniſtris verbi impoſitam eſſe ſerio agnoſcerent Principes terrę, qui conantur libertatem iſtam imminuere, profectò non imponerent iis legem huic legi Dei ipſis impoſitę contrariam, nempe ne liberè loquantur & μετα παῤῥησιας. Libertatem enim Evangelii Chriſti pauci admodum ex principib⁹ terrę ſunt qui ferre poſſunt.

5 *Sapienter vos gerite erga extraneos, opportunitatem redimentes.*

Sapienter vos gerite) Et hoc quoque prę-ceptum eſt generale ad omnes homi-

num

num conditiones pertinens: Præcipit itaque ambulandum esse (hoc enim verbum est originale) quod ideò obseruo, vt sciant omnes nos ad hoc vocatos, non vt desideamus otiosi, sed ambulemus perpetuò, & in itinere simus, quousq; hîc peregerè agimus. Quisquis enim verè Christianus est, is homo est in hac vita occupatissimus & diligentissimus. Sed de hoc satis. Sequitur modus quem præscribit ambulandi. *Ambulate*, inquit, *sapienter*) Ad Ephes. 5. 15. Videte, inquit, quomodò accuratè incedatis, non vt insipientes, sed vt sapientes ; quibus verbis habes ambulandum & incedendum accuratè, consideratè, circumspectè, sic vt in ambulando rationem habeamus omnium circumstantiarum, loci, temporis, personarum, &c. vocatio enim Christiana hoc postulat , & Christianum hominem sapientem esse oportet. Estote prudentes vt serpentes, simplices autem vt columbę. Mat. 10. 16. Sapientia siue prudentia ea postulatur, quæ sit cum simplicitate coniũcta, hoc est, prudentia non qualis est mundi huius, quę astutiæ & caliditatis potiùs nomen, quam sapientię, & prudentiæ, meretur. Genuinę ac simplicis sapientiæ exemplum habes

bes in Paul. Act. 23. Primùm enim ex ſimplicitate animi vitã anteactam ſuam qualis fuerit profitetur, deinde ex eadem ſimplicitate & libertate iudicium in Ananiã pontificem futurum denunciat. Poſtea ex prudentia communiſsis inter ſeſe, ſine mendacio, ſine iniuria cuiuſquam, Phariſæis & Sadducæis, ſeſe liberat & eripit ad Eccleſiç vſus & Dei gloriam. Eph. 5. 17. ſapientiæ huius definitionem quandam habet: Ne eſtote, inquit, imprudentes, ſed intelligentes quç ſit voluntas Domini. Ecce prudentiam deſcripſit intelligentiam voluntatis domini; hęc enim eſt hoc loco prudentiæ circumlocutio. Regula itaque prudenter agendi eſt voluntas Dei, vt is ſit ſolus verè ſapiens, qui ex voluntate Dei agit omnia, ſtultus autem, qui ex arbitratu ſuo vivit: exitus enim id probabit, eum, qui vel ambulaverit, vel cucurrerit in hac vita ex voluntate ſua in incertũ cucuriſſe & ambulaſſe, vt Apoſtolus loquitur. 1. Cor. 9. 16. *Erga extraneos*) Hîc habes eos quorum rationem potiſsimùm habere eos oportet in ſapienter ambulando: habere quidem oportet reſpectum quorumcunque, etiam domeſticorum & maximè familiarum, ſed extraneorum maximè habenda

benda ratio: extraneos vocat ethnicos homines, nondū conversos ad Christū, inter quos vixerunt quotquot ex Colossensibus in Christi fide initiati erant. Extranei ergo sunt ii qui sunt extra Ecclesiam visibilem, quę ciuitati similis est, in qua habitant municipes regni cælorū. Phil. 3. 20. & quę vocantur luminaria in mundo sermonē vitę prętendentia. Phil. 2. 16. Extra autem eam est natio illa praua ac perversa, de qua Phil. 2. 15. quæ vivit absque Christo, aliena à Republica Israelis, extranea à pactis promissionis, spem non habens, & Dei expers in mundo. Eph. 2. 12. Extraneorum potissimùm in sapienter agendo eos rationem habere vult, tum propter ipsos extraneos ne Colessensium conversorum vita stulta ac mala eos offendat & abarceat à Dei ciuitate, tum propter Colossenses conuersos, ne ipsi eorum corruptis sermonibus & moribus pervertantur, quibuscum convivebant, & negocia huius vitę communicabant necessariò, tum denique propter Evangelium, ne ipsum malè audiat & blasphemetur eorum causa. Propter vos nomen Dei blasphematur inter Gentes. Rom. 2. 24. Atque hęc est causa præcipua cur erga extraneos sa-

ſapienter ſit vivendum. Ante omnia enim Chriſti & Evangelii ipſius rationem habere oportet. Ratio autem eius habetur imprimis tum quum ſapienter erga extraneos, prophanos homines, & veritatis hoſtes Papiſtas vivitur, qui non citiùs vel labeculam aliquam in vita noſtra deprehendunt quàm in Evangeliũ hoc Chriſti quod profitemur ſunt blaſphemi: Imò ſæpenumerò ſcandalũ non datũ accipiunt, qua ſunt in blaſpemiã propenſione. *Opportunitatem*) Sapientia ſiue prudentia cernitur in accurata obſervatione circumſtantiarum omnium inter agendum. Ex circumſtantiis præcipua eſt occaſio & oportunitas aliquid faciendi. Quamobrẽ quiſquis ſapienter vivit oportunitatis præcipuè rationem habet, & occaſionem benè agendi omnem captat. Stultus autem eſt qui oblatas occaſiones & oportunitates non ſibi arripit. Eò enim magis arripienda eſt occaſio, quòd ipſa non maneat, & Deus ſic præſcribat rebus agendis ſua tempora & oportunitates ſuas, vt ſi oblatas occaſiones non arripiamus ſimul cum occaſionibus facultatem agendi amittamus. Ecce nunc (ait Apoſtolus) tempus acceptum, Ecce nunc dies ſalutis. 2. Cor. 6. 1.

Quam-

Quamobrem, dum dicitur, hodie si vocem eius audiveritis, ne obdurate corda vestra. Heb. 3. 15. Nam metuendum, ne non arrepta occasione videatur aliquis ex vobis fuisse frustratꝰ. Heb. 4. 1. *Redimentes*) difficultatem arripiendi etiam oblatam, benè agendi oportunitatem significat hoc verbo. Namque oblata non obtinetur nisi redimatur. Causam huius rei expressit. Eph. 5. 16. Quoniam, inquit, dies mali sunt, id est, tot tantaque impedimenta sese ingerunt, vt nisi redimatur etiam oblata oportunitas non possimus ea vti. Metaphora sumpta est à mercatoribus, qui etiam periculo vitæ suæ oblatam lucri faciendi occasionem redimunt. Sic nobis quoque faciendum, & Christianum quemque oportet mercatorem esse prudentem. Mercaturam autem primam oportet esse temporis & occasionis ipsius, vt deinde redempta occasione aliarum rerum mercaturam exerceat. Nota deinde occasionem benè agendi esse tum, cùm mille impedimenta sese obiiciunt, & dies mali sunt, vt non sit quòd metiamur occasiones & oportunitates ex impedimentis & difficultatibus, putemusq; non esse occasionẽ, quia sunt impedimenta. Contrariũ sensit Apostolus

1. Cor.

1.Corinth.16.9.cum dixit ostium mihi apertum est magnum & efficax,et adversarii multi.

6 *Sermo vester semper cum gratia sit sale conditus, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere.*

SErmo vester) Aliud est præceptum generale ad sermonem pertinens. Duas requirit in sermone conditiones; vna est, vt sit cum gratia, altera, vt sit sale conditus. Gratiosus sermo dicitur qui gratiam affert auditoribus. Eph.4.29. Gratiæ nomine intelligo bonum aliquod, quod pervenit ad auditorem ex loquentis sermone, siue ad doctrinam, siue ad mores pertinens. Vnde damnantur omnes hominum sermones lasciui, otiosi, vani, qui neq; loquenti, neq; audientibus vllam ministrant vel cognitionē, vel consolationem, vel informationem ad vitam transigendam, vel vtilitatē aliam quamcunque, sed animum & loquentis & auditorum ab vtilibus & honestis cogitationibus abducunt. *Sale conditus*) Altera proprietas sermonis, vt sit sale conditus: Vt gratioſ9 sit sermo, necesse est primū sit condit9: non enim potest gratia in animo auditoris sequi sermonē nō conditū.

Et

Et quo condimento? Sale. Sal quo sermo conditur est sanctitas. Nam necesse est sanctitatem primùm in corde esse, & omnes cordis affectus occupare, deinde extendere se ad membra externa, & externas membrorum actiones & operationes quascunque. Si enim sancti sint affectus cordis, etiam manus sanctè operabitur, & pes sanctè incedet, & oculus sanctè aspiciet, & lingua sanctè loquetur. Nam necesse est linguę sermonẽ cordis sequi dispositionem, quia ex abundantia cordis os loquitur. Salis duo sunt vsus prȩcipui, vnus, vt cibos sapidos reddat, suaviores ad esum, & palato magis arridentes: alter vt res quascunque conseruet à putredine & corruptione. Ita sanctitas primùm sermones reddit gratiosos, iucundos, & ad ædificationem commodos, ideoque aptos & idoneos qui auditorum auribus ingerantur. Deinde sermones purgat & conservat ab omni impuritate, fętore, putredine, corruptione, cum alioqui sine sanctitate sermo putris fit et corruptus, auditorum animos quasi putredine sua inficiens, quẽ nominatim prohibet Apostolus. Eph. 4. 29. Nullus sermo putris egreditor ex ore vestro. *Semper)* Non satis est vt sermo aliquan-

quando & ad aliquod tantùm tempus ſanctus ſit & gratioſus, ſed attendendum eſt perpetuò, vt, cum loquendũ eſt nobis, loquamur ſanctè & ad aliorum commodum & ædificationem. Putant homines ſatis eſſe, ſi interdum ſanctis vtantur ſermonibus, ita vt liceat etiam ipſis nonnunquam etiam iocis his profanis, & ſermonibus obſcœnis, otioſis & inutilibꝰ indulgere: ſed longè aliud præcipit Apoſtolus, qui ne permittit quidem, vt vnquam egrediantur ex ore noſtro putres ſermones, ſed requirit, vt ſemper ſint ſancti & ad ædificationem comparati. *Vt ſciatis*) Ex perpetua conſuetudine ſanctè & gratioſè loquendi orietur ſpiritualis prudentia & diſcretio, quâ apti ſumus ad reſpondendum rectè & appoſitè vnicuique nos de re quacunque interroganti: *Vnicuique*, inquit) quia imprimis in reſpondendo habendus eſt reſpectus perſonarum quibuſcum loquimur. Illi cum quibus ſermones conferimus, vel extranei ſunt, vel fratres & domeſtici fidei, quorum alii firmi, alii infirmi. Cum extraneo ita eſt loquendum, vt, ſi fieri poſsit lucrifiat Chriſto, ſaltem vt ne occaſionem arripiat blaſphemandi ex ſermone noſtro. Cum fratribus infirmis, vt

uone noſtro non offendantur, ſed potius confirmentur ac corroborentur in fide, cum firmis denique ad mutuam conſolationem & ædificationem, vt Chriſtiano homini potiſsimùm maximo verborum delecto opus ſit. Nota igitur in ſermone noſtro & oratione plurimùm ineſſe virium, non tantùm ad animum auditoris aliquo modo afficiendum, vt vel ſanctificandum & erudiendum ſi ſanctus ſit & purus, vel corrumpendum ſi putris ſit & impurus, ſed etiam ad ipſius loquentis animum aliquo modo informandum et imbuendum ſpirituali prudentia.

7 *Res meas omnes vobis notas faciet Tychicus dilectus frater, & fidus Miniſter ac conſeruus in Domino:*

8 *Quem miſi ad vos ob hoc ipſum vt cognoſcat res veſtras, & corda veſtra conſoletur.*

9 *Cum Oneſimo fido & dilecto fratre, qui eſt ex vobis. Omnia* igitur *vobis exponent quæ hic aguntur.*

RES meas) Capitis pars tertia, Epiſtolæ Epiſtolę autem ſexta, in qua res ſuas privatas, quarum cognoſcendi deſiderio teneri ſciebat Coloſſenſes, et quas periculoſum putabat incertis rumoribus redere per Tychicũ coràm ipſis exponendas re-

rẽnunciat, quem ob hoc ipſum ſe Coloſſos miſſum profitetur, vt et Apoſtoli res notas Coloſſenſibus faceret, et eorum res cognoſceret, et corda Coloſſenſium conſolaretur ac confirmaret in fide. Tychicus hic homo fuit Aſianus, qui Paulũ proficiſcentẽ in Aſiam comitatus eſt. Act. 20. 4. his vna cum Paulo fuit tũ cum Romę captiuꝰ detineretur, et ab eo miſſus eſt ad Coloſſenſes cũm hac Epiſtola, et ad Epheſios cum Epiſtola ad ipſos perſcripta: vide Epheſ. 6. 21. 22. & 2. Timoth. 4. 12. Porrò Tychicum, inquit, miſi Epheſum. Vt autem perſonæ dignitas plus authoritatis & fidei ipſius teſtimonio conciliaret apud Coloſſenſes, deſcribit eũ primùm à generali et communi vocatione Chriſtianorũ omnium, quod ſit frater nec frater modò, ſed etiam dilectus, ſignificans vocationi Chriſtianæ deberi charitatem ac dilectionem, adeò vt ſi quis Chriſtianus ſit, ac proinde frater noſter, hoc ipſo nomine teneamur nos eum maiori dilectione complecti: diligendus ſuo modo eſt quiuis, etiam qui non eſt Chriſtianus, verùm ſingularis quidam amor debetur Chriſtiano, qui nobiſcum eiuſdem corporis membrum eſt: neque tam alius ho-

mo à nobis, quàm vnus idemque nobiſcũ. Sunt enim omnes Chriſtiani membra vnius eiuſdemque hominis coaleſcentia nobiſcum ad conſtituendũ illud Chriſti corpus, & conſtituendum illum vnum novum hominem, cuius caput eſt Chriſtus, corpus autem omnes Chriſtiani; de quo vide Epheſ.2.15. deinde deſcribit eum ſpeciali vocatione, qua reſpectu quidem Chriſti miniſter fuit & ſeruus, ei nimirùm in miniſterio & prædicatione Evangelii ſeruiens ſũma fide & integritate (nõ enim ſimpliciter miniſter dicitur, ſed fidus miniſter reſpectu verò Apoſtoli fuit conſeruus in Domino, quia eidẽ Domino Ieſu Chriſto vterq; in miniſterio ſuo ſeruiebat. *Quem miſi ad*) Cauſę propter quas miſſus eſt Tychicus ab Apoſtolo ad Coloſſenſes duę exprimuntur, vna vt ipſe per Tychicum cognoſceret res Coloſſenſium, altera, vt ipſorum corda conſolaretur: His aliam quandam non minoris momenti præmiſit, vt res ſuas notas faceret Coloſſenſibus. *Cum Oneſimo*) Cum Tychico vnà etiam ad eos mittit Oneſimum, vt plus ponderis haberet legatio, & duorum tam inſignium teſtium relatione magis confirmarentur de veritate eorum quę erant expo-

ponenda de Apoſtoli conditione. Hic ille Oneſimus fuit, quem Paulus Philemoni in Epiſtola ad eum ſcripta commendauit, ſeruus Philemonis fugitiuus & nequam, ſed poſteà à Paulo captiuo ad Chriſtum conuerſus, & ad Philemonem remiſſus. Hunc Coloſſenſibus commendat, primùm à communi vocatione, qua per fidē Chriſto inſitus factus eſt delectus in eo frater. Qui hîc fidus dicitur & dilectus frater eum in Epiſtola ad Philomonem verſ. 10. vocat Filiū ſuum quem genuerit in vinculis ſuis: Quos enim gignunt Miniſtri per Evangelium & adducunt ad Chriſtum, eos faciunt quidem gignendo Filios, iam verò genitos agnoſcunt eſſe fratres ſuos, vtpote eiuſdem cum ipſis Patris Filios in Chriſto eorum omnium fratre primogenito. Sic Apoſtolus Corinthios, quos vt Filios ſuos in Chriſto per Evangelium à ſe genitos admonebat. 1. Cor. 4. 14. paſsim ſolet fratres compellare. Deinde commendat Oneſimum Coloſſenſibus, quòd ex ipſis ſit, hoc eſt, eiuſdem Patriæ communione cum ipſis coniunctus. Obſerua 1. Paulus in manu inimicorum in vinculis detentus, non putans ſatis eſſe ſcripta hac Epiſtola Coloſſenſes in fide confirmare

Tychicum etiam ad eos mittit, vnàque cum eo Onesimũ (quem apud se ad ministrandum sibi in vinculis Evangelii retinere poterat) per eosque vult res suas priuatas iis exponi, vult ipsorum res cognoscere. Hinc discè quanta fuerit Paulo solicitudo de Ecclesiis, quarum commodum & ædificationem in Christo solam, quasi neglecta vita & salute sua, semper habet ante oculos. Hanc solicitudinem ipse profitetur. 2. Cor. 11. 28. 29. Absque iis, inquit quæ extrinsecus eveniunt vrget agmen illud in me quotidie eousurgens, id est, solicitudo de omnibus Ecclesiis: quis affligitur quin ego affligar? Quis offenditur quin ego vrar? Quàm deploranda est calamitas horum temporum, quibus vix quenquam ex Evangelii ministris reperias, cui non carior sit salus sua quàm vel totius Ecclesiæ Christi incolumitas! qui non in discrimen adductus neglectâ Ecclesiâ de se solùm cogitet? Sed profectò si ea esset hodierno Die hominum fidelitas & zelus in ministerio qui fuit olim Pauli pro nihilo ducerent pericula quæcunque, & fæteret iis ista vita præ Christi gloria. Obser. 2. Paulus non contentus Onesimũ commendasse à frater-

nitate & coniunctione in Christo eo etiam nomine commendat eum Colossensibus quod ipsorum gentilis fuerit: sic postea Epaphram iis commendabit vers. 12. & hunc ipsum Onesimum in Epistola ad Philemonem vers. 16. ostendit eò magis debere dilectum esse Philimoni, quod ipsius seruus fuerit. Hinc collige naturales istas & ciuiles coniunctiones quibus communicant homines inter se cōsanguinitate, affinitate, natione, patria, &c. iis qui Christo per fidē insiti sunt causas & occasiones esse debere maioris in Domuno dilectionis mutuæ. Necessaria quidē primùm est spiritualis illa in Christo κοινωνία, quâ fit vt omnes in eo fratres simus, vt sine qua nulla vera aut sincera dilectio esse potest, quamvis alioqui coniunctissimę sunt personę (Nam extra Christum nulla potest esse cordis sinceritas) Si tamen ad spiritualem illam coniunctionem accedat etiam coniunctio aliqua naturalis aut politica, maior etiam quidam dilectionis gradus requiritur: vt teneantur fideles prę aliis eiusdē fidei communione sibi vnitis amare & charos habere eos qui secundum carnē aliquo modo coniuncti sunt; quod significat Apostol⁹. 1. Tim. 5. 8.

si quis suis, & maximè domesticis non providet, fidem abnegauit & est infideli deterior.

10 *Salutat vos Aristarchus meus in captivitate socius, & Marcus consobrinus Barnabę de quo accepistis mandata: si venerit ad vos, excipite eum.*

11 *Et Iesus qui vocatur Iustus, qui sunt ex circumcisione: hi soli adiutores in regno Dei fuere mihi solatio.*

Salutat vos) Capitis pars quarta, Epistolę septima, continens salutationes, quarum quædam missę sunt, de quibus ad versum 15. alię rogatæ, de quibus vers. 15. Missæ sunt partim à Circumcisis, partim ab aliis. Circumcisi tres sunt, qui singuli primùm speciali quadam sua descriptione Colossensibus commendantur, deinde adiicitur descriptio omnibus communis. Horum primus nominatur Aristarchus: Hic Macedo fuit Thessalonicensis, qui ministerio Pauli conversus ad Christum, eique peregrinationis socius in tumultu. Ephesino cum Gaio correptus est, & sedato tumultu dimissus Paulum in Asiam profiscentem comitatus est, cumque eo vnà captiuus abductus est Romam. Vnde describitur

hoc

hoc loco captiuitatis Pauli ſocius. Vide Act.19.28. & 20.4. & 27.2. Eius etiam mentio fit in Epiſtola ad Philemonem, verſ.24. vbi cum aliis, qui illic enumerantur, adiutor Pauli vocatur. *Et Marcus*) Secundus ex circumciſis eſt Marcus, quiſnam hic fuerit ſatis colligi poteſt ex hiſtoria. Act.12.12.& 13.5.13.& 15.37. & deinceps. Ioannes cognomento Marcus filius fuit Mariæ cuiuſdã piæ fœminæ, in cuius domum ſe contulit Petrus è carcere liberatus. Aſſumptus à Paulo & Barnaba reuerſis ex Hieruſalem iis in itinere miniſtrabat: vſque dum peruenirent ad Pergen Pamphiliæ vrbem, vbi ab iis abſcedens reuerſus eſt Hieruſalem, cuius cauſa inſignis illa inter Paulum & Barnabam à Synodo Hieroſolymitana reuertentes orta eſt controverſia: qua ſeiuncti ſunt alter ab altero, & aſſumptus à Barnaba Marcus eum in Cyprum comitatus eſt: Poſteà tamen reconciliatus eſt Paulo, & cum eo captiuo Romæ fuit ei miniſtrans in vinculis, vt licet colligere, tum ex hoc loco, tum ex Epiſtola ad Philemonem verſ.24. et 2.Tim.4.11. Marcum aſſumptum adduc tecum; eſt enim mihi perutilis ad miniſterium. Deſcribitur autem hoc

loco

loco primùm ab affinitate ea qua cum Barnaba coniunctus est, quòd ipsius fuerit consobrinus. Affinitas enim magnorum in Ecclesia virorum debet homines, alioqui pios & fideles, nobis commendatiores reddere, & maiorem parere in animo nostro ipsorum existimationem, vel affinium suorum causa per quos gloriam nominis sui Dominus propagauit. *De quo accepistis*) Describitur deinde à mandatis Pauli de eo ad Ecclesias datis, & inter cæteras ad Ecclesiam hanc Colossensem: de hoc enim peculiariter dederat Colossensibus mandata, vt illum si veniret ad ipsos exciperent, & debito honore vt verum Christi seruum prosequerentur. Causa mandati erat, quòd, cum eum antea Paulus recusasset secum assumere, vt qui ab ipso & Barnaba in Pamphilia abscessisset, & eorum comes esse in illo domini opere renuisset, fortasse iudicassent Colossenses eum si ad ipsos veniisset, indignum esse qui exciperetur. Proinde Apostolus expertus eius resipiscentiam & sincerum studium in promovendo Evangelio, eum rursus commendavit Ecclesiis.

Et Iesus) Tertius ex Circumcisis est Iesus cognomento Iustus. *Hi soli*) Gene-

ra-

talis horum trium commendatio, eaque duplex: prima quòd fuerint ei cooperarii in regno Dei, ſecunda, quę ex prima ſequitur, quòd ipſi fuerint ſolatio. Regnum Dei hoc loco eſt Evangelium, per quod tanquam vexillum erectum Deus colligit Eccleſiam, & aditum in eam patefacit hominibus. Per quod etiam Eccleſiam ſuam regit & adminiſtrat. Duplex iſta horum commendatio ampliſicatur ex eo quòd hi ſoli ex circumciſis ipſum adiuuerint in promouendo regnum Chriſti Romę, & eum aliqua conſolatione affecerint. Obſerva primùm ex mandatis ab Apoſtolo de Marco datis, quæ cura & diligentia fuerit in Primitiua Eccleſia in perhibendis teſtimoniis quibus diſcernerentur viri probi & fideles ab impoſtoribus & falſis fratribus. Ea ſi hodie eſſet inter Chriſtianos qui diverſas regiones incolunt, aut etiam inter eos qui in eadem degunt provincia, non poſſent circuitores iſti tantoperè in ſeducendis & abducendis à Chriſto hominibus proficere. Obſerva ſecundo, Probabile eſt ex hoc loco Petrum Romæ nunquam

nunquam fuisse. Nam si Romę fuit vnquã, quando potiùs Romæ fuisse putandum est quàm paulò ante illud?tempus, quod ipsi us passioni assignant, hoc est, ipsum illud tempus, assignant quo hæc epistola scripta est, cum eodem anno passum & crucifixum velint Petrum quo & Paulus. Atqui tunc Romæ non fuit cum scripta est hæc Epistola. Quî enim credibile est, eum si tunc Romę fuit non adiutorem fuisse Paulo in promouendo Christi regno?aut si fuit,quis credat id dissimulaturũ fuisse Paulum? Certè si Romæ fuit Petrus mirum est Apostolum, cùm tot inferioris ordinis & nominis doctores in Epistolis Roma scriptis nominare consueuerit, nullum tamen vnquam illius mentionem facere,quem alioqui tanquam ecclesiæ columnam laudauit.Gal.2.9.

12 *Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, seruus Christi,semper decertans pro vobis in precibus, vt stetis perfecti & completi in omni voluntate Dei.*

13 *Hoc enim de eo testor, eum multo vestro studio ardere, & eorum qui sunt Laodiceæ, & eorum qui Hierapoli.*

Salu-

Salutat vos Epaphras) Sequuntur ſalutationes aliorũ, & primùm Epaphræ, quẽ deſcribit. 1. Quòd ſit ex ipſis, eoque iis debeat eſſe acceptior. 2. Quòd ſit ſeruus Chriſti. Supra cap. 1. 7. dictus eſt fidus pro Coloſſenſibus miniſter Chriſti. Ergo ſeruus Chriſti dicitur à ſpeciali vocatione, quâ Chriſto inſerviuit in prædicatione Evangelii. 3. Deſcribitur à precibus pro Coloſſenſibus, quibus ſincerus ipſius erga eos affectus declaratur. In his precibus tria notantur. 1. eſt modus quo precabatur. 2. pro quibus. 3. ipſa precum materia. Modus precandi fuit cum pugna & certamine. *Decertans*, inquit, *in precibus*) Certamen hoc non carnale fuit, ſed ſpirituale, cum hoſtibus illis ſalutis noſtræ, Satana, carne, mundo, qui vt ſemper parati adſunt ad impedienda motus Spiritus quoſcunque in cordibus noſtris, ita imprimis opponunt ſe in precibus, primùm omnia obſtacula obiiciendo, quæ nos à precando avocare poſſunt, deinde cum vident non poſſe nos impediri ne precemur, omnibus modis laborant, ne continuemus preces noſtras, & ne ſperemus nos exauditos iri, obiiciendo noſtra & aliorum pro quibus oramus peccata. Nobis verò illis Spiritus

armis, hoc est, fide & spe decertandum est, neque permittendum vt plus illi possint in impediendis precibus nostris, quàm potentia Spiritus in iis promovendis. *Semper*) Non ad tempus tantùm certandum, sed perpetua & assidua debet esse hæc pugna, vt & preces debent esse perpetuæ: Nam & semper tàm nobis quàm aliis pro quibus precamur opus est nouo aliquo beneficio, ac diuinę gratiæ incremento, & singulis momentis amitteretur gratia semel accepta, nisi Deus, qui eam dedit, eam etiam in nobis & aliis conseruaret, nec vnquam precamur, quin sentiamus Satanam se nobis opponere, & preces nostras impedire. Pro quibus verò precabatur? *Pro vobis*, inquit) Pro omnibus quidem precandum, & in precibus decertandum est, 1. Tim. 2. 1. Adhortor igitur ante omnia vt fiant deprecationes, preces postulationes, gratiarū actiones, pro quibuslibet hominibus: magis tamen obligati sumus ad precandum pro iis, qui in eandem nobiscum corporis Ecclesię societatem asciti sunt quam pro aliis, & ex fidelium numero imprimis deuincti sumus ad precandum pro iis qui cognati nobis sunt secundum carnē & sanguine iuncti.

Nam

Nam etiam naturalis hæc coniunctio maiorem aliquem amoris gradum gignit in iis qui alioqui in Christo vniti sunt: Quò enim plura sunt vincula eo maior debet esse mutua cura & solicitudo pro aliorum salute. Ita Paulus prò fitetur. Rom. 9. 2. 3. se imprimis solicitum fuisse pro Israelitis cognatis suis secundum carnem. Et Phil. 2. 26. laudat Epaphroditum, quòd grauissimè angeretur ob tristitiam Philippensium quorum erat apud Apostolum legatus.

Vt stetis) Hæc est summa precum Epaphræ pro Colossensibus. Precatus est vt stent perfecti & completi, &c. Non precatur simpliciter vt sint perfecti, sed vt stent perfecti, hoc est, constanter perseuerent & progrediantur in ista perfectione: Nam verbum standi constantiam & perseuerantiam significat cum animi fortitudine coniunctam. Perfectio nostra posita est in agnitione Dei, iustitia, sanctitute. Estque duplex: vna est imputata, illa nimirum Christi perfecta iustitia & satisfactio, quam Deus nobis in Christum credentibus per fidem imputat, & in qua perinde nos censet perfectos, ac si in nobisipsis plenè iusti ac sancti essemus.

Altera

Altera est inhærens in nobis, cum Spiritus sanctus operatur in mentibus nostris agnitionem Dei, & voluntatis ipsius, & in cordibus sanctitatem ac iustitiam, nosque totos interiùs purgat à peccato & inhærente corruptione. Prior illo omnibus suis numeris absoluta est, etiã in hac vita estque causa perfectionis in nobis inhærentis, quæ tota profluit à coniunctione nostri & κοινωνία cum Christo, sine qua nulla omninò esset in nobis perfectio. Inhærens autem illa perfectio, per Spiritum regenerantem in nobis effecta, non potest planè & omnibus suis gradibus absolui in hac vita, propter reliquas aliquas tenebras in mente (Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus.) 1. Cor. 13. 9. & reliquas peccatorum ac corruptionis sordes, quæ nunquam prorsus abolebuntur: donec per Spiritum Christi plenè inhabitantem in nobis, perfectè liberemur ab impuritate & omni pollutione, quod in altera demùm illa vita, cùm præsentes erimus cum Domino, futurum est. Enitendum tamen nobis est & contendendum perpetuò, vt plenè perfecti evadamus, & maiorem indies perfectionem assequamur, sic præcipiente Christo. Matt. 5. 48.

Esto-

Estote perfecti. Nisi enim progrediamur cõtinuò in perfectione in hac vita, nunquã eã habebimus omnibus suis gradibus absolutã in altera. Atque hoc est, quod hic Apostolus dicit Epaphrã precari Colossensibus, vt perseuerent & progrediantur indefesso cursu perfecti. *Et completi in omni*) Definit quodammodò hanc perfectionem. Hoc idem est cũ eo quod ipse Paulꝰ Ephesiis precatur: vt impleantur ad omnẽ vsq; plenitudinem illam Dei. Ephes. 3. 19. Nam illa omnis plenitudo Dei nihil reuera aliud est quàm completio in omni voluntate Dei. Vtrobique Apostolus adiecta vniuersali particula significat non satis esse ad perfectionẽ ac impletionẽ vt in vna aliqua re aut pluribus studeamus Deo placere, sed necesse esse vt in omnibꝰ ad ipsiꝰ voluntatẽ formemur: quod tum demùm fit cum illuminantur mentis oculi vt ipsum ipsiusq; voluntatẽ agnoscamus, & sanctificantur corda omnesq; cordis affectus ad obsequium ipsius, & omnes actiones nostræ, tam internæ, quàm externę, ad legem eius, tanquam ad exactissimã iustitiæ normam; conformãtur. *Hoc enim de eo*) Ostendit serias illas Epaphræ pro Colossensibus preces profectas esse non solùm à sũmo studio & pio zelo erga ipsos, sed etiã erga eorum vicinos, Laodicenses & Hierapolitanos, pro quibus etiam

proculdubiò, vt pro Coloſſenſibus, in precibus ſemper decertabat. Non enim poſſus ſeriò pro quoquam preces ad Deum fundere niſi priùs corda noſtra intimo amore erga ipſum afficiantur. Summum hoc Epaphræ erga eos ſtudium, vt eò magis perſuaſum ſit & certiùs conſtet, confirmat teſtimonio ſuo, quod, in tanta Apoſtoli authoritate, Coloſſenſibus minimè fallax aut leue videri poterat. Obſerua. 1. Precari non eſt res tam facilis quàm vulgò homines exiſtimant ſed magni eſt laboris. Si quis ſeriò precari velit ſexcenta impedimenta ſentiet à Satana ſibi obiecta quę eũ à precando auocent, aut precantem remorentur. Nec alia cauſa eſt cur paſsim homines in precando nihil inueniant obſtaculi, quam quia verbis quibuſdam in ore natis, non in corde, contenti, ſine vera fide & ſerio animi affectu precantur. At huiuſmodi precibus, (ſi modò preces dicendę ſunt) non tantopere ſe Satana opponit vtpote quas noverit non magnopere ſibi & regno ſuo obfuturas: ſeriis verò piorum precibus totis viribus reſiſtit, quaſcunque poteſt tẽtationes obiiciens, quia novit iis ſuum regnum plurimùm iri diminutum Obſerva deinde in perſona Epaphræ, Paſtoris officium eſſe non præſentem ſolum gregem ſuum erudire & inſtruere in doc-

na Euangelii, sed etiam absentem quasi in corde suo circumferre, & perpetuo eius studio ac zelo teneri, eius salutem ardentibus votis expetere, & pro eo preces ad Deũ perpetuò fundere. Obserua 3. Epaphram imprimis & præter omnes commendat Apostolus Colossensibus, quia ipsorum erat minister in prædicando Euangelio: eum etiam ornat testimonio egregii cuiusdam studii erga ipsos. Sic Timotheum quem ad Philippenses erat missurus: sic missũ ad ipsos Epaphroditũ commendauit. Phil. 1. 19. & deinceps. Obserua igitur, maximè necessariũ est in Ecclesia aliqua particulari vt summa sit apud omnes qui in ea versãtur Pastoris existimatio, sintq; persuasi, non in genere tantũ de eius probitate, pietate, fide, charitate, & his donis ad ministeriũ necessariis, sed etiam de singulari eius amore, cura, studio erga se imprimis, vt ita possideat quasi animos gregis sui, eosque habeat arctissimè sibi vnitos: Sic enim facilius poterit volentes eos, & pastoris fidei se cõmittentes, ad obedientiam Christi adducere. Vbi non est ista de Pastore persuasio parũ profuerit quantuscunque ipsius labor erga gregem.

14 *Salutat vos Lucas medicus ille dilectus &*
idiota.

Salutat vos) Sequuntur alię ſalutationes eorum qui erant ex præputio, vt Lucæ & Demæ. Lucas hic perpetuus Pauli comes fuit, vt conſtat ex hiſtoria Actorum, ab ipſo conſcripta, manſitq; cum Paulo etiam tum cùm amandatis aliis derelict⁹ eſt à Dema. 2 Tim. 4. 11. Lucas mecũ eſt ſolus. In Epiſtola ad Philemonẽ ver. 24. vocatur adiutor Pauli, hoc eſt, in miniſterio cooperarius. Hìc deſcribit eum à vocatione, quam habuit antequam ſegregauit eum Deus ad prędicationem Evangelii, erat vocatione Medicus. Nulla politica & civilis, vocatio aut occupatio impedire poteſt vocationẽ illam Dei ad miniſterium Chriſti, ſed vocat quoſcunque vult ex quocunque hominum genere, Matheum à telonio vocat ad Apoſtolatum; Petrum, Andream, Iohannem, Iacobum, capiendis piſcibus priùs occupatos facit piſcatores hominum: Amoſum bubulcum elegit in Prophetam: Eadem in aliis permultis ratio eſt: Ita Lucã hìc ex medico facit Evangeliſtam. Deus enim liberrimus eſt non alligatus ad vllam vocationem aut cõditionem hominũ, ſed ſeligens quos vult & quomodo vult ad opes ſuas efficiendum, eoſque ornans donis ad defungendum munus ſuũ neceſſariis, pro beneplacito ſuo. Non ſolùm medicum eum vocat, ſed etiam dilectũ, quo nomi-

nomine commendatur ab illo Apoſtoli amore quo ipſum eſt complexus, tanquam Chriſtianum & hominẽ ſibi intimum ac familiarem. Dilectio enim Apoſtoli Chriſti, & familiaritas cum eo intercedens, non parum hominem commendat. *Et Demas*) Hic ille fuit à quo derelictum ſe queritur Apoſtolus. 2. Tim. 4. 10. Demas me dereliquit, amplexus præſens ſeculum. In Epiſtola ad Philemonẽ vocatur adiutor Pauli. Vnde veriſimile eſt eum hoc quidẽ tempore miniſtrũ fuiſſe Evãgelii, ſed poſteà deſerta vocatione ſua defeciſſe ad quærendas opes: amor enim præſẽtis ſęculi non poteſt conſiſtere cum miniſterio Evangelii. Nemo, ait Dominus poteſt duobus dominis ſeruire: aut enim vnum habebit odio & alterum diliget, aut vni adhærebit & alterum contemnet. Nemo poteſt Deo ſeruire & mammonę. Mat. 6. 24. Si animus rerũ mundanarũ curâ diſtrahatur, non poteſt totus occupari in quęrendo Chriſto, & illius gloria, ſed mundũ Chriſto anteponit.

15 *Salutate fratres qui ſunt Laodicęę, & Nymphã, & Eccleſiam quæ in domo illius eſt.*

Salutate fratres.) Hoc verſu ſunt ſalutationes rogatæ: Salutare iubet ſuo nomine primùm fratres qui ſunt Laodicęę, quia volebat apud eos legi hanc epiſtolam: deinde quendam Nymphan, & Eccleſiam quę eſt

domi ipsius. Obserua eos tantùm ex Laodicensibus salutari vult qui sunt fratres, hoc est, qui eiusdem Patris Filii sunt adoptati in Christo cui insiti sunt per fidem. Ratio est, quia cum his solis vnimur ac coniungimur in Christo. Salutationes autem ordinarias quędam media sunt à Deo instituta ad conservandam & fovendam vnionem illam & coniunctionem membrorum Christi, quę corpore tenus à se inuicem distincta sunt ac separata in presente hac vita. Deinde in persona Nymphæ observa officium patrumfamilias esse vt ita regant familias suas, instituant in cognitione Christi ac salutis, ad vitę integritatem ac sanctimoniam assuefaciant, vt eas habeant particulares Ecclesias fide & sanctitate apud omnes pios commendabiles.

16 *Et quum perlecta fuerit apud vos epistola, facite vt etiam in Laodicensium Ecclesia recitetur & eam quæ scripta est ex Laodicea, vt vos quoque legatis.*

17 *Et dicite Archippo, Vide vt ministerium quod accepisti à Domino impleas.*

ET quum perlecta) Quinta pars capitis in qua specialia quædam præcipit Colossensibus, partim ad ipsorum, partim ad Laodicensium bonum spectantia. Primum est vt lecta apud Colossenses hac epistola efficiant

vt

vtetiam recitetur in Ecclesia Laodicenſium. Apparet hanc epiſtolam imprimis miſſã eſſe ad Eccleſiæ Rectores & Preſbyteros, ideoq; vult Apoſtolus eam primùm in Eccleſia Coloſſenſiũ publicè legi vt ab omnib⁹ ſanctis cognoſcatur & intelligatur: deinde vult eam cõmunicari etiã cum tota Eccleſia Laodicenſium. Cauſa cur cum tota Eccleſia cõmunicanda ſit hæc epiſtola eſt ſumma ipſius vtilitas, qua ſingulis fidelibus prodeſſe potuit ad ſalutem. Obſerua primũ non ſatis eſſe vt à paſtoribus, Doctorib⁹, Preſbyteris, cognoſcantur Sripturæ ſacræ, quarum hæc Pauli epiſtola, aliquota pars eſt, ſed neceſſe etiã eſſe vt eũ vulgo Chriſtianorũ & ſingulis fidelibus cõmunicentur. Ideoq; obſtricti ſunt Eccleſię prę ſides ad eas publicè legendas & proponendas populo in cœtibus eccleſiaſticis, ad eas vertendũ in linguas vernaculas vtetiam à vulgo legi & intelligi poſsint, ad curandũ deniq; omnibus modis ne liber ille Dei, ſit vulgo hominum, liber clauſus. Quàm longè abſunt doctores pontificii ab hac mente, qui Laicis, quos vocãt, interdicũt ſacrarũ ſcripturarũ lectionẽ, & ne ab iis legi poſsint prohibent earũ verſiones in linguas vernaculas fieri; egregiè hac in re Satanæ operam nauantes, qui, cum ſciat quàm ad ſalutẽ neceſſaria ſit ſcriptura, ſemper in id imprimis

obnixè

obnixè incubuit ne ſacra Scriptura veniret in hominum manus. Obſerua deinde ; Etſi Epiſtolæ Paulinæ, vt & alii plerique ſacræ Scripturæ libri ad certam aliquam Eccleſiã, aut certum aliquẽ hominem ſcriptæ ſunt, ad omnes tamen Chriſtianos indifferenter pertinent; quia doctrinam continent perpetuã, & omnibus Chriſtianis communem, ſuntq; non minùs ſcriptæ ad doctrinam & conſolationem noſtram, quàm eorũ quibus nominatim ſunt inſcriptæ. Nam quod de Prophetarum ſcriptis dixit Apoſtolus. Rom. 15.4. Quæ ante ſcripta ſunt ad noſtram doctrinã ſcripta ſunt, vt per patientiã & conſolationẽ Scripturarũ ſpem habeamus, id de omnibus omninò ſacris libris eſt certiſsimum. 2. Tim. 3.16. Omnis Scriptura divinitus inſpirita vtilis eſt ad doctrinam, ad redargutionẽ, ad correctionem, ad inſtitutionem quæ eſt in iuſtitia. *Et eam quæ eſt*) ſecundũ ſpeciale quod præcipit, vt ipſi Coloſſenſes legant eam epiſtolam quę ſcripta eſt ex Laodicea. Quęnam hæc Epiſtola fuerit haud ſatis conſtat. Non certè fuit aliqua ab ipſo Paulo conſcripta, ſed veriſimile eſt fuiſſe epiſtolam, vel à tota Laodicenſiũ Eccleſia, vel certè ab illius paſtore ad Paulum miſſam, cuius lectio vtilis eſſet Coloſſenſibus, quod vicinarum Eccleſiarum non diſsimilis eſſet conditio. Nota

igitur

igitur, Quamvis & ad dogmata Christiana fidei confirmanda, & ad mores formandos abundę sufficiat sacra Scriptura, in qua nihil desiderari potest quod vel ad doctrinam vel ad vitæ sanctimoniam necessarium sit, tamen vtile etiam esse ad ędificationem nostram sanctorum scripta legere, etsi longè disparis cum verbo Dei authoritatis. Nam si ædificari possumus ex sermonibus gratiosis, fidelium membrorum Christi, & ex eorum sancta vita, quidni etiam ædificare nos possunt aliqua ratione eorum scripta cum verbo Dei consentanea. *Et dicite Archippo*) Tertium speciale de admonendo Archippum officii sui. Archippus minister Evangelii videtur fuisse in Ecclesia Colossensi, vnà cum Epaphra, qui tum Romę erat apud Paulum. Vnde & in Epistola ad Philemonem vers. 2. vocatur Pauli cómmilito, hoc est, cooperarius & adiutor in Evangelio prædicando. Apparet eum in officio suo fuisse negligentem: Ideò præcipit Ecclesiæ vt eum moneat sui officii. Nota igitur Ecclesię esse, si quem videat ex ministris suis non satis sedulum in officio faciendo eum admonere, ita tamen vt hoc fiat cum ea reuerentia & modestia, quę gregem deceat erga Pastorem suum, quem debet vt à Deo missum honorare. Neque huiusmodi admonitiones debet Pastor con-

contemnere aut pro nihilo habere, sed iis tanquam stimulis excitari & provocari ad maiorem in ministerio suo fidelitatem declarandam. *Vide vt ministerium*) Præscribit Apostolus formulam verborum grauem simul & modestam qua admonere debeant Pastorē suum. Duo sunt de quibus monendus est Pastor ab Ecclesia, primum est vt videat ministerium quod à Domino accepit, hoc est, diligenter consideret quodnam illud sit & quanti momenti, ponderet quàm grauis, quàm laborioſa, quàm excellens vocatio, ipsius partes examinet, nihil denique omittat quod ad plenam pastoralis muneris cognitionem requiratur. Alterum est vt ministerium ita exactè cognitum impleat, hoc est, omnes partes officii perficiat, & fideliter exequatur: ita vt nihil in eo desideretur quod ad plenā ministerii perfunctionē spectet. Duo hæc necessariò debent esse coniuncta in quacunq; vocatione, cognitio officii, eiusque executio. Neque enim satis est vt quis cognoscat quid sit officii sui nisi etiam illud reipsa exequatur: neque facere potest officium suum, eoque cum fide & bona conscientia defungi, nisi priùs intelligat ad quid præstandum ex vocatione obligatus sit. Observa 1. vt excitetur Archippus ad ministerium implendum argumentum

ſumi vult à miniſterii authore, Deo: Quod accepiſti, inquit, in Domino: Nota igitur, Conſcientia vocationis Dei non mediocris ſtimulus eſſe debet ad nos excitandos ad fidelitatem in miniſterio. Sic Paulus cum Presbyteros Epheſiuos exhortaretur vt attenderent ſe, & totum gregem, ad paſcendam Eccleſiam Dei, argumento vtitur ſumpto à Spiritu ſancto ipſos ad epiſcopatum Eccleſiæ Epheſinę vocante: In quo, inquit, vos Spiritus ſanctus conſtituit Epiſcopos: quo docet nihil eſſe quod debeat efficaciùs nos ſtimulare ad officium faciendum, quàm ſi conſideremus nos miniſterium accepiſſe à Deo, vt cui tenetur miniſter Evangelii ſe probatum ſiſtere, operarium qui non erubeſcat. 2. Timoth. 2. 15. Obſerva. 2. Vt quis officio ſuo in miniſterio rectè defungatur non ſatis eſt vt in vna tantùm ipſius parte laboret, verbi gratia, in docendo tantùm, in exhortando tantùm, &c. ſed neceſſe eſt omnes miniſterii partes diligenter exequatur, & in tota domo Dei fidelis ſit, vt de Moſe dicitur Heb. 3. 2. Nam hoc demùm eſt implere miniſterium. Apoſtolus. 2. ad Tim. poſtquàm in fine cap. 3. præcipuos ſcripturę vſus enumeraſſet, quòd vtilis ſit ad doctrinam, ad redargutionē, ad correctionē ad inſtitutionē quę eſt in iuſtitia, que totidē

ſunt

sunt partes ministerii, in quibus posita est ἐξουσία illa sermonis veritatis de qua in eadem Epistola. 2. 15. statim initio capitis 4. cum graui obtestatione vrget Timotheum vt in his omnibus instans sit & vigilans. Obtestor igitur, inquit, coram Domino Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos et mortuos in illustri illo suo aduentu & regno suo, Prædica sermonem, insta tempestiuè, intempestiuè; arguè, obiurga, exhortare cum omni lenitate & doctrina, & vers. 15. At tu vigila in omnibus.

18 *Salutatio mea manu Pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gratia sit vobiscum. Amen.*

Salutatio) Post enumeratas aliorum salutationes postremo loco concludit epistolam salutatione sua gratiam iis à Deo compreeatus. Sunt enim salutationes nihil aliud reuera quam precationes siue optationes, quibus gratiam & bona omnia iis comprecamur quos salutamus, atque ea re benevolentiam nostram iis testatam facimus. Primùm autem præfatur se hanc salutationem scribere sua manu, idque in eum finem, vt sit quasi signum & sigillum, quo suo more omnes epistolas suas obsignabat, vt ipse profitetur. 2. Thes. 3. 17. Nam videtur Apostolus in plerisque omnibus epistolis suis scribendis amanuensis opera vsus esse, donec ad vl-

ti-

timam ſalutationem ventum eſt, quam ipſe ſemper ſua manu exarauit ad hoc vt Pauli ipſius chirographo conſtaret omnibus eam veram & germanam eſſe Pauli epiſtolam, non adulterinam, aut ſuppoſititiam. Erant enim, etiam Apoſtoli ætate, vt apparet ex 2. Theſſ. 2, 2. qui ementito Pauli nomine impios errores ſpargebant ad ſanam doctrinã adulterandam. Nam fuit hoc vetus Satanę artificium ſuppoſititia ſcripta obtrudere ad corrumpendam Eccleſiam Dei. Deus contrà, ſic proſpicit Eccleſię ſuę vt ſcripta prophetica & Apoſtolica ſuis quibuſdam notis diſtinxerit ab aliis hominum ſcriptis quibuſcunque. Epiſtolæ Pauli verę & germanę à nothis & ſuppoſititiis diſtinctę ſunt ipſius Pauli chirographo: verùm ſcripturę authenticę ſunt aliq quędam ſuę notę multò certiores, eæque perpetuę, cuiuſmodi ſunt divina maieſtas in maxima alioqui ſermonis ſimplicitate reſplendens, cæleſtis puritas & ſumma ſanctimonia vbique emicans, ſpiritualis gratia quę elucet, tam in verbis, quàm in rebus, & aliæ permultę, de quibus non eſt nunc dicendi locus. *Memores eſtote*) Priuſquam ſubiiciat ſalutationis verba commendat iis primùm memoriam vinculorum ſuorum quę patiebatur pro defenſione Evangelii. Memoria hæc vinculorum Pauli non tan-

tantùm eo pertinet vt animarentur Coloſſenſes exemplo patientiæ ipſius ad fortiter ferendum perſecutiones quaſcunque pro Evangelii veritate, ſed etiam, & quidem multò magis, ad hoc vt ſeriis precibus ipſum Deo commendarent, idque non tam cauſa ſua, quàm Evangelii, propter quod vinctus erat, vt apparet ex iis quæ dicta ſunt ſuprà verſ. 3. huius cap. & Epheſ. 6. 19. *Gratia ſit*) In hac ſalutatione bonum quod Coloſſenſibus precatur eſt gratia: quod nomen ſignificat primùm gratuitũ Dei favorẽ in Chriſto, deinde ſpirituales omnes benedictiones, quæ ex gratuito illo fauore emanant, cuiuſmodi ſunt, remiſsio peccatorũ, iuſtificatio, ſanctificatio, vita denique æterna. Hanc gratiã cum primùm eos ſalutaret in principio huius epiſtolę optauit iis à Deo Patre & Domino Ieſu Chriſto, nunc autem in extrema ſalutatione non aliud aliquod bonum iis comprecatur quàm eandem hanc gratiam. Id enim huic Apoſtolo ſolenne eſt in omnibus epiſtolis vt à gratia exorſus in gratiam deſinat. Vnde ſequitur nihil cuiquam hominum contingere poſſe præſtantius & optabilius quàm hoc gratię bonum. Quid enim excogitari poteſt vel vtile, vel neceſſarium, ſiue ad præſentem hanc vitam, ſiue ad futurã illam, quod non habeamus communicata

nobis ſemel iſta gratia in Chriſto? Pietatem dixit Apoſtolus. 1. Tim. 4. 8. vtilem eſſe ad omnia, vt quę promiſsiones habeat vitę præſentis & futurę: at hæc pietas vnde eſt niſi ex gratia? Imò quid vſpiã boni eſt quod nobis vſui eſſe poſsit quod aliunde ſit quàm ex gratia? Nullus igitur meritis noſtris locus eſt in vllo bono nobis procurando. Apoſtolus ſuprà capite primo commendavit Coloſſenſes hos, à fide & charitate in omnes ſanctos: Sed an propterea vllam ipſis mercedem charitatis operibus debitam à Deo comprecatur? Nihil minùs: imò quod ipſis precatur id totum gratia eſt, vt diſcamus in ſolidum à Dei gratia pendere, & omnia ei tribuere, vt in omnibus bonis, quę Eccleſię communicantur, Deo ſit gloria gratię ſuæ in Chriſto Ieſu. Amen.

FINIS.

INDEX PRÆCIPVARVM

vocum, & obſeruationum Theologicarum, quę in hoc commentario, vel breuiùs, vel p olixiùs, explicantur. Numerus Paginam demonſtrat.

A

ABalienatio non eſt Dei à nobis, ſed noſtri a Deo. Pag. 165
Abalienationis à Deo prima ſedes quæ ſit. 66
Abalienationem à Deo quid neceſſariò conſequatur. *ibid.*
In omni actione bona quæ concurrant. 280
Adiaphorôn vſus qui legitimus, qui non. 189
Admonere quid. 97
Affectiones bonæ, malæ. 220.
Afflictio Chriſti & membrorum ejus quî differant. 84
Afflictio pro honore ducenda. 86
Amicitia & inimicitia noſtra cum creaturis vnde pendeat. 59
Anabaptiſtarum paralogiſmus quo *anarchiam* ſtabilire conantur 318
Angeli beati quomodo Deo reconciliari dicantur quomodo non. 57
Angelorum conditio duplex. 57
Angelorum cultus quo potiſſimum argumento à Papiſtis adſtruatur. 175
Angelos plenam beatitatem ſine nobis non eſſe conſequutos 58
Anima principium actionum. 123
Annunciationis Evangelij partes: quæ. 97
Apoſtoli quo diſcrimine à patre miſſi ſunt et à filio. 2
Aſpectus fidelium duplex. 105
Avaritia deſcripta. 223 & deinceps.
Avaritia quî dicatur Idololatria 225. 226. 227.
Avaritia hiatus in corde inexplebilis. 224.
Avaritia homine ſenescente iuuenescit. 225

B

Baptiſmi vis & efficacia quàm diuturna 137. 138.
Baptiſmũ non eſſe efficacem ex opere operato. 138
Baptiſmus quid repræſen-

tet, quid operetur. 137. 138
Beata hominis conditio in quibus sita. 7. 14. 15. 107. 268
Beatitudo in Christo renovata immutabilis. 54
Beneficia quæ in Christo habemus quæ sint, qualia sint, quanta sint 93.
Beneficia Dei in Christo qui magnificiemus. 141

C

Ceremoniæ legales quid fuerint. 166
Ceremoniæ legis qui fuerint chirographum adversus Iudæos, qui non 149. & 150
Ceremoniarum & rerum indifferentiū nomine qui aliquem damnat legem transgreditur. 161
de Charitate. 12. 279. 280. 281. & 282
Chirographo & Gentes, & Iudæos, reatū suum obsignasse, sed modo diverso. 147. 149. 150. & 151
Christianorum sub lege cum Iudæis comparatio 133
Christus quo sensu dicatur imago Dei & in quibus Patrem repræsentet 33. 34. & 35
Christus cur primus resurrexit. 50
Christus cur dicatur primogenitus omnis creaturæ 38. & 49
Christus cur dicatur primogenitus ex mortuis 49
Christus in opere reconciliationis patiens, agens, sacrificiū, sacrificator 64
Christus inter moriendū quorū rationē habuit. 68
Christo, qui fiat Idolū. 127
Christū esse Patris cancellarium 148
Christus quàm fortiter in cruce egerit. 154. 155
Christus a Diabolis traductus & in crucem actus diabolos traducit & in crucem agit 167
Christus vt sit omnia in omnibus quæ requirantur 267. & 268.
Christus in quibus imitandus, in quibus non. 279
Cum Christo quæ cruci affixa sint 153
Christi mortē consequuntur satisfactio & meritū. 60
Christus cur caput dicatur Ecclesiæ. 45. 46. 47. 48.
Cibos potissimū esse materiā tentationis Satanæ & cur. 189. & 190
Circumcisio cordis quàm necessaria. 133

Circumcisio cordis in quo consistat. 136
Cælum cur nobis charũ debet esse & amabile. 204
Cognitio vera quæ sit, quæ eius partes, qualis, & quis eius finis 16. & 17.
In cognitione sitam esse hæreditatẽ nostram, gaudiũ nostrũ, vitã nostrã. 25
Coniunctio, coniunctio & cognatio nostra cum Christo. 201. & 202
Colores & species quibus mundo imponunt falsi doctores. 195. 196. 197
Conformitas cum Christo duplex. 136. & 137
Contumaciam potiùs quàm viriorum actiones causam esse mortis. 219
Conversationem malam esse materiam mortificationis. 230. & 231
Creaturarũ distributio 40
Creaturæ vilitas vnde innotescat. 38. & 39
Crucifixio Christi quî differat à crucifixione Chirographi peccati, mortis maledictionis 153
Cultus dei in quo situs. 226

D

Deitas quî sit in Christo. 128
Deo quibus placeat. 21. 22
Deponere idẽ quod mortificare 234.
Desiderium cordis cur toto mundo non expleatur. 224
Desiderium cordis humani infinitum solo *Deo* explerí. *ibid.*
Deus quî sit nobis agnoscendus. 5.
Deus quo sensu dicatur invisibilis. 33.
Deus inconspicuus in imagine visibili visibilis fit. 35
Diaboli conditio quàm diversa ante Christi adventum & post 178
Dies festi quotuplices, & quorum celebratio sit legitima, quorum non. 164
Dies festi quid fuerãt 163
Dilectio Christi erga nos 82

E

Ecclesia cur corpus dicatur Christi. 46
Ecclesia non est antiquior quam scriptura sacra. 89. 90
Electio ante tempora & in tempore quæ. 271
Elementa mundi cui opponantur. 187
Erudite quid. 97
Euangeliũ à quibus prædicandum. 334
Euangelii dominium & ministerium quam latè pa-

eant 97.& 98
In Evangelio quæ habemus. 16.
Evangelij finis consolatio. 106.107.
Evangelium vt sanctificet quæ necessaria 11
Evangelii obiectum. 111
Excandescētia quid. 240

F

A Falsa doctrina dehortationi quando locus. 114.et 115.
Falsos doctores inimicos esse deo, hominib9 & creaturæ mortuæ ac [illegible] 191
Falsi doctores & sophistæ quam iniurioſi, ambitioſi subdoli, impudentes & audaces 172.173.174.176. 179.& 195.
Falsi doctores quam strictè in indifferentibus, quam laxè in necessariis agant. 191
Fælicitas hominis in quo sita, vide beat.
Fides quid 120.
Fides intelligentiæ nomine appellatur 109
Fides augescit & foveturbonis operibus 19
Fides naturâ prior sanctitate. 3
Fides fundamentum est super quod fundandū est cor, non contra. 72.& 73
Fides est causa spei, & spe foveturr. 8.
Fides & Charitas commissuræ & compages Ecclesiæ. 182.183
Fidē et spē non esse absq; Evangelio. 73
Fidei & spei differētia. 73
Fidei intelligentia & plerophoria cur dives & gloriosa. 118
Fidei obiectum 110
Fiduciam in Deo colle-cantis, mos & consuetudo. 328
Filii Dei descriptio. 32.33 & deinceps.
Filij Dei non dignoscuntur nisi per statum gloriæ. 215.& 216
Filiorum erga parentes officium 306.& deinceps
Filiorum in parentes rebellionis quod sit iudicium. 311
Filius quo sensu dicatur imago Dei & in quibus patrem repræsentet. 33. 34.& 35.
Filius imago visibilis Dei invisibilis & quomodo visibilis sit. 35.& 36.

G

Gaudium sanctorum vnde oriatur. 118.& 119

Gloriam Patris & Filii ef. se parem in opere reconcilationis. 68
Gloria Christi etiam hominis finis omnium quæ facta sunt ante tempora, in tempore, & quare 43
Gloria Christi qui in eius ignominia resplẽdeat. 159
Gratia Dei rara 55
Gratiarum actionis & precum fundamentum. 23
Gratiæ nomine quæ intelligantur 3. & 351
gratitudinis declaratio 285

H

Hæresis de cultu angelorum in quo fundata, quã sit antiqua, quo potissimũ argumento à Papistis astruatur 174. & 175
Hæretica doctrina vnde & quo ordine oriatur. 178
Hæretica doctrina perpetuo cum superbia conjuncta. 179
Hominis conditiones tres 54
Hostẽ esse Dei quicunq; abalienatus est a Deo. 66.

I

Imago Dei, *vide* christus.
Impœnitentiã pœnã esse peccari in Spiritum S. 229
Imperfectio & defectus in nobis post gratiam acceptam, eiusque remedia quod. 14
Incrementi spiritualis materia. 285
Inferorũ terrores quã necessarii etiã optimis. 328.
Iræ explicatio 238. & deinceps
Judæi quomodo servati 167
Judæorum & nostri comparatio 167
Judæorum & gentium discrimen, ciborum discrimine denotatum 162. 189.
Iustitia & ira in nostri cũ Deo reconciliatione. 60
Iustificatio continuò sequitur vocationem efficacem *ibid.*

L

Lenitas describitur. 278.
Liberi in quibus obedire debeant parentibus. 309
Liberorum erga parentes officium 316. *et deinceps*
Libertas arbitrii Papist. plane adversatur efficaci vocationi 23
Lux omnis gratiæ principium 15

M

Maledicentia quid. 241
Malitia quid & qualis affectus 241
Malum in se per nullas circumstantias bonum fi-

eri posse 249
Mansuetudo describitur. 273
Materia gaudii gloriationis nostræ & gratiarum actionis quæ 21
Mediatoris descriptio. 53
Memoriâ sanctificata quâ necessaria 141
De mendaciis. 246. & deinceps ad. 252
Médacia cur citò cordibo hominũ imbibantur. 125
Mentiri, quid qui, ejus modi. 247 & deinceps
Mens prima sedes abalienationis à Deo & inimicitiarum 66
Ministeriũ Evangelij quã latè pateat 98
Ministrorũ Evangelij officium 76
Modestia quid 274
Modi placendi Deo 18.19 20,21
Mors Christi quam viuax 159
Mors & peccatum simul abolentur 217. & 218
Mortificationem fieri etiam per sanctorum conversationem 236
Mortis causæ quæ 143
Mysteriũ Evangelj quibus reveletur 91
Mysterium & Evangelium qui differant. 88,& 344
N
Neomenia 162
Notæ Evangelij veri 9,10: 11,& 76.77
Novi hominis indumentum 269 & deinceps
Nouo homini Christum esse pro rebus omnibus 264,& 265
O
In obediendo duo extrema vitia quæ 317 & dein.
Obediendum dominis, etiam impijs 318.& 319
Obedientia in quibus consistat. 307,& 308
In obedietia perfecta quæ requirantur. 309,& 310
Officii nostri in Deum partes 18,19.20.21.
Officium subditorum erga superiores 316
P
Pacis nomine quid significetur 3,& 282
Parentum erga liberos officium. 312,313,& 314.
Pater & Filius quo diverso modo sibi nos reconciliarunt 68
Pax quotuplex 282 & 283
Peccatorũ radix in homine 135
Peccatum in Spiritum S. cur dicatur ad mortẽ 219

Peccatum reprehensionis materia 69
Perseverantia vt sit quid requiratur 121, & 122
De persona Christi 51 52
Persona pro conditione & accidētibus aduētitiis 329
Petrum nunquam fuisse Romæ 364
Pithanalogia cui opponatur 115, & 116
Potentia Dei vnde elucescat maximè 129, & 140
Precum & gratiarum actionis fundamentū. 23
Prudētiæ periphrasis. 347

R

Rebellionis filiorū in parentes vltio 311
de Reconciliatione. 53. & deinceps.
Reconciliatio nostri cum Deo quid 53
Reconciliatio duplex meriti & efficaciæ 69
Recōciliationis author 55
Reconciliati Deo qui 70
Reconciliario à vocatione non rediffert 53
Redemptionis fundamenta decē. 37, 38, et deinceps
Redemptio pro remissione peccatorum 29 & 31
Redemptionis modus 30
Redēptio nostri quomodo gratuita, quomodo nō 32
Religio Iudæorū & Christianorū quo modo differant. 133 & 134
Remissio injuriarū quā difficilis, necessaria, &c. 277
Remissio peccatorum qui fiat 146
Remissio peccatorum in quo posita 29
Remissionē peccatorū nihil aliud esse re ipsa quam iustificationem 29
Reuerentia quid 307
Robustus quis 21

S

Sacerdotium commune sanctis omnibus 338
Sacramentum & verbum in quibus efficacia 139
Sal quo cōditur sermo est sanctitas 352
Sanctorum exemplo homines mortificantur. 236
Sapientiæ & cognitionis distinctio 112
Sapientiæ humanæ limites 125
Scientia de Deo vera. 111. 112
Scortatio. 220. 231
Sermo quàm efficax 286
Sermonis nostri conditiones duæ 351
Sermonem Christi inhabitare debere in nobis copiosè 289. 290. & 291.

Servi in quibus dominis suis obedire debeant 319. & 320
Servorũ officiũ erga dominos. 315. ad 331
Similitudo nostri ad Deum in quo consistat. 15
Simplicitas cordis, et vnde pendeat 323
De Spe. 75. & 76
Spes fovet fidem 8
Spiritus sanctus commissura, nervus & compages Ecclesiæ 181 & 183
Superbiæ genera duo. 177

T

Terrorem domini esse piis consolationi 330
Traditionibus humanis excludi Christum 127
Traditionum humanarũ genera duo. 125. & 126
Triumphus Christi in cruce. 154. & 156.

V

Verbum Dei panis est qui dispensatione augescit. 87 & 88
Verbum & Sacramentum in quibus efficacia. 139
Veritatis Evangelii notæ 9. 10. 11. 76. 77
Vetus homo quid & qualis 253 quo magis senescit eo virescit magis. 155
Victori est Christo qui. 196
Virorũ officium erga vxores. 302. 303. 304. & 306
Vitã Christi & nostram esse eandẽ numero. 214. 215
Vitæ spiritualis actio & alimentum 203 & 207.
vitæ futuræ cognitio vnde 8
Vivificatio quomodo fiat. 146
Vivificatio gentium quomodo differat à vivificatione Iudæorum 147
Vivificationem nostri à Deo fieri Christo mediante 145
Vmbra Christi quam efficax ad salutem & consolationem 167
Vocatio quid 59
Vocatio efficax in quo sit sita 23. & 28
Vocationem à reconciliatione non differre 59
Vocationem Christianam obligare ad afflictiones perferendas. 85.
Vocationis nostræ termini & partes 25
Vocationis nostræ finis 24
Vocationi efficaci plane adversatur doctrina de libero arbitrio 23
Vocationẽ efficacẽ continuo sequitur justificatio 29
vxorũ officia erga maritos 298. 299. 300. 301 & 302